DISSERTATIO INAUGURALIS

SISTENS

OBSERVATIONES QUATUOR MORBORUM SYSTEMATIS NERVEI RARISSIMORUM

QUAM

CONSENSU ATQUE AUCTORITATE

AMPLISSIMI MEDICORUM ORDINIS MARBURGENSIS

PRO

SUMMIS IN MEDICINA, CHIRURGIA ARTEQUE OBSTETRICIA HONORIBUS

D. XIX. MENSIS AUGUSTI MDCCCXLIV.

RITE CAPESSENDIS

SCRIPSIT

ADOLFUS LUDOVIC. GABRIEL. HARNIER

CASSELLANUS.

ACCEDUNT TABULAE DUAE LAPIDI INCISAE.

MARBURGI.

TYPIS ELWERTIANIS ACADEMICIS.

MDCCCXLIV.

PROOEMIUM.

Omissis omnibus, quae a plerisque autoribus in dissertationum inauguralium prooemiis de *tironibus scribendique audacia et difficultate* dicta invenimus, quippe quae per se sat superque patere mihi videantur, hoc loco potius, cur ex innumeris materiis memoratu dignissimis hanc ipsam difficillimam tractandam mihi elegerim, cui colendae viri experientissimi atque ingeniosissimi per tantam annorum seriem summam eamque fere prorsus frustraneam operam dederunt, paucis verbis exponere mihi in mente est.

Primum enim profundae, quibus gravissimum hoc corporis humani organon hucusque velatur, tenebrae animum meum jam antea magnopere ceperant et nunc praecipue ad observationem ejus accuratiorem instituendam me impulerunt, quamquam nimirum fore, ut illius functiones morbosve aliqua ex parte clariores reddere possim, ne nno quidem temporis momento

speravi. Deinde autem clarissimus ille, quem a majoribus suscepimus, dissertationum scribendarum mos non ideo servatus esse mihi videtur, ut disciplina nostra per scripta talia semper leviora atque imperfecta valde augeatur et locupletetur, sed ut, quicunque summos in medicina honores sibi conciliare optat, mentis sanae, ingenii satis culti, diligentiae impigrae atque assiduae documentum praebeat manifestum. Quod, ni fallor, optime fieri potuit in hac materia consideranda, cujus indagatio difficillima fuit et de qua tot et tam praestantes libri scripti sunt, ut, etiamsi illud parum mihi contigit, propter hos tali modo cognitos argumenti hujus electi profecto me numquam poeniteat. Denique casus morborum ipsos, quos narravi, gravissimos et, qui oblivionem fugientes publice referantur, dignissimos habeo; quamobrem uni eorum largius exposito alios tres quoque addidi, quamquam timor, ne usitatis dissertationis finibus nimis egrederer, me inpedivit, quominus eos, uti initio mihi in mente fuit, eodem modo explicatos perscriberem. Itaque alio fortasse loco de iis, praecipue de ultimo eorum mox amplius disserere mihi proposui.

Majorem librorum numerum perscrutatus, permultos autores locis ex aliorum scriptis citatis neque raro valde truncatis, pravo atque injusto modo ad opinionem aliquam defendendam saepius usos esse, compertum habui; quamobrem, ne in eandem suspicionem cadam, aptissimum existimavi, locos tales graviores verbotenus referre, ita ut num recte an falso de iis judicaverim, quisque facile decernere possit.

De permultis barbarismis, quibus verba colore latino saepius certe parum ornata redundant, vix est, quod excusationes

afferam; etenim non id mihi consilium fuit, ut Ciceroni placerem ejusque aemulis, sed ut verbis simplicibus satisque perspicuis rem meam exponerem.

Jam vero nihil praemittendum mihi restat, nisi quod clarissimo *Heusinger* propter eximiam humanitatem ac liberalitatem, qua non solum historias morborum hoc loco narrare mihi permisit, sed quoque quum praeparata anatomica optime servata, tum insignem librorum copiam mecum communicavit, ex intimo meo animo gratias agam quam maximas.

Prodeas igitur, libelle, in publicum et semper, quibus tantopere indiges, judices invenias benevolos!

Conspectus.

I. Historia morbi cujusdam cerebralis.

II. Epicrisis, qua

a) nonnulla de tumoris descripti vi pathologico-anatomica continentur;

b) symptomata morbosa e partibus cerebri laesis explicantur;

c) aliquot morborum et ad naturam et ad sedem nostri similium casus ab auctoribus narrati referuntur;

d) num revera anatomia pathalogica cerebri physiologiam clariorem reddere possit et quo alio modo optime de variarum cerebri partium variis functionibus certioris aliquid inveniatur, quaeritur.

III. Tres morborum systematis nervei historiae adduntur.

Historia morbi cujusdam cerebralis.

Elisabetha Trier, ancilla viginti trium annorum, e pago *Kleinseelheim*, staturae altae valdeque robustae, temperamenti phlegmatici, faciei stupidioris, rubicundae die 19. m. Januarii a. 1842 in xenodochium Marburgense inducta est a matre enarrante fere haecce: filiam antea optima semper valetudine gavisam, taciturnam quidem, tardiorem ingenioque parum evoluto ornatam, sed libenter obedientem, promptam atque impigram nunc e quatuor circiter mensibus segniorem, infirmiorem, languidiorem factam esse et tam facile defatigari, ut saepius in medio labore, ipsa invita, somno vinceretur. Quae omnia confirmans filia addit, se per duos menses male valere et praecipue vagis capitis doloribus una cum eximia utriusque brachii imbecillitate laborare, digestionem optimam, prorsus incolumem esse, sanguinem menstrualem jam antea satis copiosam nunc copia haud mutata quarta quaque septimana per octonos dies secerni. Simul pulsus est irregularis, non autem e certo quodam typo intermittens, inaequalis, parvus, frequens; sensuum actiones nullo modo turbantur. Inter explorandum motus brachiorum spasmodici intercurrentes animadvertuntur antea neque a matre neque ab aegra ipsa observati. Columna vertebrarum optime constituta nullum dolorem et calorem ubique aequalem exhibet; simulatque autem secunda et tertia vertebra dorsalis vel leviter premitur, subito haud exiguus dolor et vehementes spasmi partem corporis superiorem quassantes exoriuntur.

Quod symptoma quum semper idem remaneret, irritatio spinalis per rarefactionem aut cariem vertebrarum effecta adesse visa est, qui morbus in nostra regione frequentissimam dyscrasiam scrophulosam persaepe solet comitari. Quamobrem aegrota, relictis officiis, quibus adhuc satisfecit, saepius inter diem et praecipue noctu corpore extenso aut abdomini aut dorso incumbere, quotidie autem sub divo se modice movere jubetur; simulque in loco columnae dolente hirudin. medicin. sex ponuntur, dein unguent. e tart.

stib. una cum unguento hydr. ciner. illitur, ad usum internum autem propter eximiam ad spasmos proclivitatem dantur flor. zinc. gr. V. cum elaeosacch. valer. ℈ß ter per diem sumenda.

Quibus remediis, postquam ungto. stib. inuncto eruptio cutanea exorta est, animus multo hilarior factus, vires auctae, dolores et spasmi deminuti, denique totus aegrotae status adeo restitutus est, ut inde a die 7. m. Martii aegra, nihil porro nisi ol. jecor. asell. adhibens, e matris voluntate ad pristina officia iterum subeunda rediret. Quum autem duabus paene hebdomadibus praeterlapsis mater, malum filiae statum per graves labores susceptos eximium in modum ingravuisse, nunciaret, die 24. m. Martii aegrota recepta est in nosocomium stationarium.

Quo tempore haecce fere symptomata morbosa manifesta fuerunt: oculus dexter laboravit strabismo interno antea non observato; facultas loquendi hucusque optima valde deminuta atque alienata; incessus vacillans, memoria debilitata, secretio menstrualis uti antea profusa, exoneratio alvi regularis quidem red rarior, faeces duriores; dolores, quos antea sola secunda et tertia vertebra dorsi pressa praebuit, nunc una cum vehementissimis spasmis quassantibus per quamque vertebram colli pressam eodem modo efficiuntur. Aliud singulare symptoma morbosum fuit insignis motuum faciendorum cupido, quae tanta fuit, ut aegrota modo quiete sedens aut, ut jussa fuit, dorso incumbens, ipsa invita, subito surgeret et recta via praecederet, quod facere haud prius desinebat, quam somno arto valdeque diuturno vinceretur.

Quibus omnibus quum diagnosis antea proposita confirmata videatur et praeterea nunc quoque medullam oblongatam affectam, fortasse exsudato plastico obtectam esse conjectum sit, ungt. stib. fortius in totum dorsum, cervicem atque occiput infricatum et ad usum internum praeter ol. jecor. asell. pluries per diem mercur. dulc. gr. ß cum. pulv. hb. digital. gr. II. datum est.

Sequente tempore omnia symptomata supra memorata magnopere aucta sunt, praecipue quoque illa motuum cupido, quae mox adeo crevit, ut aegrota saepius e conclavi ad loca remota eaque periculosiora pelleretur nec raro humi procumberet; quamobrem nunc januam semper diligentissime claudi necesse fuit. De doloribus aegra nunc haud amplius conquesta est, sed solum de summa lassitudine et vertiginibus frequentibus; digestio semper optima, pulsus uti antea irregularis atque inaequalis remansit; sub finem m. Maji oculi dextri ex orbita longe prolapsi strabismus convergens eximie ingravuit et ex angulo oris dextro haud paulo demisso saliva continuo defluxit. Quibus symptomatibus tumorem in cerebro aut communem aut dextrum pedunculum cerebri

comprimentem adesse verisimile fuit, quamobrem nunc, omni sanandi spe prorsus sublata, cura symptomatica instituta est.

Paulatim omnes aegrotae motus difficiles atque impediti fuerunt, lotium saepe involuntarie defluxit et a medio m. Julyo aeque ac faeces ad regulam quidem sed aegra invita atque inscia emittitur; extremitates sinistrae et superior et inferior paralysi absoluta affectae sunt; verba, quae aegra edit, nunc intelligi nequeunt, pupilla oculi dextri prolapsi amplissima facta mox lucem omnino non amplius percipit; dextra pars oris prorsus paralytica est. Sed nunc quoque motuum cupido persistit, ita ut aegra crus dextrum semper e lecto protenderet et sinistrum paralyticum post se traheret; quum vero hoc modo saepius e lecto humi procumberet eam arte retineri necesse fuit.

Initio m. Septembris una cum mente atque ingenio facultas loquendi prorsus sublata est; oculus sinister et extremitates dextrae usque ad mortem actionibus suis fungi visae sunt; sinistrae motu quidem privatae sensibilatem tamen servarunt. Sensim deglutitio quoque valde difficilis facta et denique respiratio paralysi affecta est, ita ut die 28. m. Septembris aegra mortem suffocatoriam subiret.

In corpore post viginti quatuor horas cultro anatomico aperto organa abdominalia prorsus sana inventa sunt; cor dextrum et pulmones sanguine atro repleti ceterum nihil pathologicum obtulerunt. Venae cranii formam omnino regularem exhibentis et cerebri sanguine tumuerunt; pedunculi cerebri inde a ponte Varolii usque ad chiasma nervor. opticor. $0,025^{m}$ inter se remoti, praecipue dexter ad partem externam pressus, tegmentum cruris dextri sursum latum fuit; corpus striatum et thalamus in sinistro latere quidem regularem, in dextro ne dimidiam quidem crassitudinem prae se tulerunt; ceterum, cerebro remoto, basis cranii illum adspectum praebuit, qui priore tabula addita delineatus est; cerebellum prorsus sanum, sinister autem pedunculus cerebri valde repressus et deminutus est a tumore quodam irregulari, subrotundo, proveniente, ut visum est, e clivo Blumenbachii et processibus clinoideis posticis, latitudinem $0,067^{m}$, altitudinem $0,059^{m}$ praebente. Qui tumor, nonnulla praecipue duo hemisphaeria formans, dextrum altius, sinistrum latius, obductus dura matre quibusdam locis tenuiore sed et texturam et colorem regularem exhibente, undique fere tactu fuit mollis et impressiones digitorum quidem recepit, non autem retinuit. Pars posterior tumoris, quem videas tab. II. fig. I., paries quidem fuit magis aequalis, sed et ipsa nonnullas protuberantias minores ostendit. Hoc modo quidam nervi quoque et decursum et structuram commutaverant: n. olfactorius et opticus utroque latere normalis; n. oculomotorius dexter supra summum tumoris cacumen decurrens fasciae latiori similis factus, sinister a latissima parte tumoris obtectus nimis ad sinistram

depressus fuit; dextri origo inveniri nequivit sed in tenuem telam cellulosam posticae tumoris parieti affixam transmutata esse visa est, quamquam anterior ejus pars rotundam formam prorsus integram servaverat. Nn. trochlearis et abducens sinistri quidem et ipsi a tumore e loco regulari moti et paulo tenuiores facti sunt, sed in toto decursu perspicui discerni potuerunt; eosdem autem nervos dextri lateris in posteriorem tumoris partem ingressos neque in tumore ipso neque antice in fissura orbitali detegere potuimus, quum illi, structura nervorum amissa, in telam cellulosam transmutati esse viderentur. Quum medulla oblongata sinistrorsus pressa esset, plerique nervi sinistri ex ea provenientes breviores fuerunt, quam dextri, ita ut e. g. nn. facialis et acusticus inde ab origine usque ad introitum in meatum auditorium internum dextri lateris $0{,}014^{m}$, sinistri tantum $0{,}0095^{m}$ longus esset; solus n. trigeminus aliter sese habuit; etenim quum pedunculus cerebri sinister una cum illa medullae oblong. parte valde ad externam et posteriorem partem depressus esset, hic nervus sinister ab origine usque ad aperturam durae matris supra os petrosum multo longiorem viam habuit quam dexter; quamobrem ille longitudinem $0{,}019^{m}$, hic solum $0{,}011^{m}$ praebuit. Omnia igitur hoc loco valde distorta apparuerunt; apertura aquaeductus Sylvii per compressionem prorsus clausa fuit, neque nisi arte a nobis aquaeductum inde e ventriculo quarto persequentibus reperiri potuit; hoc modo eam invenimus haud, uti assolet, in media parte pedunculi cerebri communis sed adeo ad sinistram versam, ut pars pedunculi dextra ab ipsa sita $0{,}016^{m}$, sinistra $0{,}007^{m}$ lata esset. Per varias prominentias tumoris variae impressiones in ossa finitima factae erant; proxima pars ossis petrosi per resorptionem omnino evanuit, dextra autem ephippii pars adeo depressa fuit, ut sinus sphenoidalis dexter non amplius cavum offerret.

Sed ne plura verba faciam de adspectu omnium harum partium, quarum plurimas multo melius clariusque adumbratas videas in tabulis additis; potius nunc de interna tumoris, quem accuratius postea perscrutatus sum, structura nonnulla proferre in mente mihi est.

Uti jam supra memoravimus, pars exterior tumoris fuit mollis, et, remota dura matre, compositus e massa caseosa, albida, quae, hic firmior illic fluidior, in multas cellulas majores subrotundas divisa fuit per telam cellulosam ab externa durae matris lamina per totum tumorem progressam et multis locis concretionibus osseis in ipsa depositis praeditam, quarum copia versus inferiorem tumoris partem adeo aucta est, ut tota ejus basis ex osse consistere videretur. Attamen haec substantia, quippe quae microscopii ope organicis corpusculis osseis fere omnino carens cognosceretur, non revera ossea sed potius lapidea fuit; exploratio ejus chemica, ab exper. *Kolbe* instituta, eximiam

copiam calcariae phosphoric., minorem natr. carbon. et valde exiguam kal. sulphuric. et natr. chlorat. ostendit. Substantia mollior supra memorata microscopio investigata perspicuis cellulis scirrhosis i. e. oblongis, caudatis et variis granulis, perparvis illis simillimis, qui sic dictum detritum organicum formant, constitit, vasibus sanguiferis autem omnino carere visa est. Analysis chemica instituta solas organicas partes monstravit, praecipue albumin., cui haud negligenda pars chondrin. et perparvae fibrin. particulae admixtae erant. Pars ossea seu lapidea tumoris ad basin dura matre fuit obducta et cum crannii ossibus omnino non cohaesit, excepto solo processu clinoideo postico dextro et ipso paulo tumefacto, a quo tumor non nisi osse vi defracto sejungi potuit.

Sed haec sufficiant de tumore describendo; et ipsum et formae mutationes, quas in partibus adjacentibus praecipue in ponte Varolii, pedunculo cerebri etc. effecit, et quas lineae clariores reddunt, quam verba, cum natura plane convenienter delineatas videas in duabus tabulis additis, quibus explicatio accuratior haud deest.

Columna vertebralis et medulla spinalis prorsus sanae fuerunt, neque praeter ea, quae hucusque memoravimus, quidquam pathologicum in cadavere dissecto est inventum.

Epicrisis.

I. Phaenomena pathologico-anatomica accuratius observantur.

Postquam iis, quae praecedunt, literis statum tumoris anatomicum et histologicum, quam optime fieri potuit, descripsimus, nunc primum, quinam ejus character pathologico-anatomicus seu quonam nomine ille aptissime ornari debeat, quaerendum, deinde autem de ejus causa aliisque memoratu dignis nonnulla nobis proferenda sunt.

Sine dubio ante viginti circiter annos tumorem nostro nomen quaerentibus perfacile agendum fuisset; parum enim ei aut *spinae ventosae* aut *osteosteatomatos* aut aliud tale nomen collectivum tribuentes aberrassemus ab usu communi. Nostro autem tempore, ubi doctrina pathologico-anatomica tam mirum in modum processit, ita ut nomina talia universalia, morbos natura atque indole valde diversos complexa, non solum non amplius

sufficiant sed etiam, id quod inter alios praecipue *J. Mueller*[1]) jure meritoque desiderat, e terminologia omnino removeantur — nunc aliud nomen tumoris nostri vim et structuram accuratius significans est eligendum, ad quod perficiendum prae ceteris sedem primariam, a qua profecerit, constituere necesse est.

Primaria s. d. *nodorum* s. *tumorum cerebralium* sedes interdum est in ipsa cerebri substantia, quod autem multo rarius evenit quam auctores antehac credere visi sunt. Quamquam enim sanguis in cerebro minime, id quod *Taube*[2]) per analysin chemicam se invenisse contendit, minorem fibrinae copiam continet minusque igitur ad exsudationes plasticas efficiendas aptus est, quam sanguis in quaque alia corporis parte, tamen revera tumores in subtantia cerebrali ipsa rariores esse, eos autem, qui ibi siti videntur, plerumque a meningibus, praesertim pia matre, profundius in cerebri substantiam per plicas penetrantibus originem ducere, nunc ex observationibus accuratioribus satis constat. Saepissime igitur nodi cerebrales i. e. tumores cerebrum comprimentes e meningibus sive dura matre sive arachnoidea aut pia matre proveniunt, haud raro quoque e cranii ossibus oriundi in cerebrum porriguntur.

In nostro casu, ubi, quum cerebro tum annexis membranis, pia matre et arachnoidea, ablatis, tumor incolumis prorsusque intactus remansit, in iis ejus radicem non fuisse manifestum est; supersunt igitur sola ossa cranii et dura mater, a quibus tumor natus esse possit. Inter quae autem, quum persaepe tum in eo, quem nunc consideramus, casu valde difficile est distinguere, quum tumor haud minus arcte cum altero quam cum altera fuerit conjunctus. Aliam igitur viam insecuti diagnosin statuere tentemus et, ossis morbum adfuisse ponentes, comparemus tumorem nostrum cum ossium pseudoplasmatibus, quae peritissimi nostro tempore anatomiae pathologicae cultores *Rokitansky*, *J. Mueller* ejusque discipuli *Miescher* et *Sollsien* in dissertationibus suis inauguralibus, deinde *Lobstein*, *Cruveilhier* etc. enumerarunt. Quorum autem pseudoplasmatum, quamquam exp. *Rokitansky*[3]) ipse, partem anatomiae pathologicae de ossium morbis agentem adhuc minime omnibus numeris absolutam esse, confitetur, tamen jam

---

1) *Archiv für Anat. Physiol. u. wissenschaftl. Mediz.* 1843, *No. V. p.* 434. Der Name Osteosteatom ist so veraltet, wie spina ventosa, auf eben so viele verschiedene Bildungen angewandt und sollte überhaupt gleich diesem aus der wissenschaftlichen Sprache entfernt werden.

2) *De sanguinis ad cerebrum tendentis indole. Goettingae* 1747. 4.

3) *Handb. der patholog. Anat. II. B.*, 2. *Lief. Wien* 1842. *p.* 169. Die Lehre von den Krankheiten der Knochen überhaupt .... bleibt, ungeachtet mannigfacher werthvoller Bearbeitungen . . . immer noch höchst lückenhaft etc.

nunc tanta adest copia, ut huncce nostrum haud exiguum laborem eo incipiamus necesse sit, quod per quaedam signa specifica quam maximam eorum partem statim initio a comparatione infra instituenda excludere conamur.

Primum tumor noster eo, quod non sola substantia ossea sed alia quoque molliore, caseosa compositus fuit, facillime distinguitur a permultis ossium morbis e. g. ab *exostosi* [4]) et ab *osteophyto* [5]), quae *Rokitansky* omnino ossea describit; deinde per physicam et histologicam contenti naturam disjungendus est a tumoribus fibrosis [6]) s. *fungo desmoide* [7]), cartilaginosis s. *enchondromate* [8]) s. *fungo chondroide* [9]) s. *osteoide* [10]), adiposis s. *steatomate* [11]) s. *fungo lipomatode* s. *cholesteatomate* [12]), carnosis, vasculosis etc.; eandem ob causam sine dubio adnumerandus est tumoribus illis malae indolis, scirrhosis, valde variis nominibus appellatis, quos nunc consideremus.

Inter novem osteophytorum genera, quae profert *Lobstein* [13]), solum similius nostro tumori est, quod §. 712. sub nomine *l'ostéophyte botrytique ou en chou-fleur* describitur; superficies enim inaequalis, pedunculus quidam, quo tumor ad os affixus est, substantia ejus non semper heterogenea sed ad basin compacta, ceterum spongiosa, denique materia scirrhosa contenta — haec omnia utrique communia; illius autem tumor solum initio formatur osse reticulari, quod postea per cariem quandam internam in unum cavum fluidum continens commutatur. Hoc in tumore nostro omnino aliter sese habet, cui etiam specifica illa forma Brassicae Botrytidi simillima omnino deest.

E *formationibus novis per accidens*, quas *Soltsien* memorat, hic tumor sine dubio

---

4) Rokitansky l. c. 1. Lief. p. 133.

5) *id. l. c.* 1. *Lief. p.* 138.

6) *id. l. c.* 2. *Lief. p.* 208.

7) *Soltsien, dissert. inaug. de tela ossea aegra et integra. Berol.* 1838. *p.* 36.

8) *Joann. Mueller, orat. habit. in Jnstituto Frider. Wilh. Berol.* 1836. — *Rokitansky, l. c.* 2. *Lief. p.* 209.

9) *Soltsien, l. c. p.* 36. *et* 37.

10) *J. Mueller, Archiv etc.* 1843., *V. p.* 396—442., praecipue *p.* 403. — *Rokit. l. c. p.* 209. *s. fin.*

11) *Soltsien (l. c. p.* 38. *et* 39.) distinguit quatuor hujus classis genera, a) *lipoma simplex;* b) *lipoma arborescens;* c) *steatoma;* d) *cholesteatoma.*

12) *Rokitansky, l. c.* 2. *Lief. p.* 210.

13) *Lobstein (Traité d'anatomie pathologique. Paris* 1833., *tome second. p.* 140—150.) novem osteophytorum species enumerat: *ostéophyte diffus, o. fibrillo-réticulaire, o. granuleux ou verruqueux, o. en forme d'esquilles pointues, o. lamelleux ou par plaques, o. styloïde, o. rayonné, o. botrytique ou en choufleur et o. amorphe.*

proxime accedit ad *carcinoma* [14]), cujus inter sex species maxime adaequat *carcinoma alveolare;* cellulae enim membranaceae variae magnitudinis, turgentes massa quadam pellucida, gelatinosa hic quoque inveniuntur; sed in ossibus haec species est rarissima nec tum continet gelatinam pellucidam sed materiem subflavam, mucoso-purulentam, qua pseudoplasma nostrum omnino caret.

Miescher in dissertatione sua copiosissima quinque solum novas telas in ossa exorientes statuit, quarum illa, quam *fungum* s. *sarcoma* [15]) nominat, maxime cum tumore nostro convenit; distinguit ille duas species, quarum altera *sedem primariam in cavis ossium medullaribus*, altera autem *in partibus mollibus conterminis habet, ita ut secundarie os morbo corripiatur;* et haec ultima nostro morbo simillima est, quippe qua *sola superficies afficiatur, ex qua nova substantia ossea, radiorum vel retis vel cellularum speciem referens prosilit, quorum intervalla massa fungosa explentur.* Quae descriptio omnino ad casum nostrum apta, nec gravius quidquam alienum esse mihi videtur.

Sed ne relinquamus hanc rem tractandam, priusquam duos autores peritissimos summaque fide dignissimos consuluerimus; quorum alterum quidem, *Cruveilhier*, ex ossium morbis solum cancrum in prima libri sui praestantis parte descripsisse valde lugeo; alter autem, *Rokitansky*, duo nostro similiora ossium pseudoplasmata memorat *sarcoma* et *cancros* [16]), praecipue *cancrum areolarem;* in illo autem ossa noviter orta haud cellulosam structuram habent, ut in nostro casu, sed aculeorum foliorumve speciem prae se ferunt; deinde in nostro bullae quidem variae magnitudinis gelatinam subalbidam continentes adsunt, quae tamen non vero osse sed sola terra ossea structura organica prorsus carente formantur.

Praeter eas autem. quas jam attulimus, aliae quoque rationes, tumorem nostrum ex osse originem capere omnino negare videntur; si enim revera dyscrasicus ossium morbus adfuisset, tum sine dubio complures tumores exorti essent aut certe unus hic

---

14) *Soltsien (l. c. p. 45. et 46.).* enumerat sex species, a *J. Mueller* probatas: *carcinoma reticulare, fibrosum, fasciculatum, alveolare, medullare, melanodes.* — *De carcinomate alveolari* dicit haecce: „varietas maxime perspicua. Conflatur cellulis membranaceis magnitudinis seminis rapicii vel pisi et fabae, in modum favi confertis. Turgent hae cellulae massa quadam peculiari pellucida gelatinosa, quae tamen expressa coquendo gluten non dat. Species crebra in ventriculo, rara in mamma, *rarissima in ossibus. His deest pellucida gelatina: continent cellulae materiem subflavam, mucoso-purulentam, quae in fila duci potest.*"

15) *Miescher, dissert. de inflammatione ossium eorumque anatome generali. Berol.* 1836. *p.* 84. *et* 85.

16) *Rokitansky l. c.* 2. *Lief. p.* 216.

tumor ampliore loco cum osse cohaesisset; neque tum etiam hic locus prorsus normalem, qua ornatus fuit, structuram histologicam praebuisset; denique tum massa ossea totum tumoris skeleton formasset neque tam magnae ejus parti tela cellulosa ad cellas formandas opus fuisset.

Ex omnibus, quae hucusque memoravimus, tumorem nostrum a cranii osse non natum esse, satis elucere videtur; quamobrem nunc duram matrem, quae multo saepissime talia pseudoplasmata gignit, ejus fontem fuisse, jure meritoque accipere possumus. Adfuit igitur fungus s. sarcoma medullare, sic dict. *fungus durae matris*, qua mebranam illam persaepe laborare optime constat [17]. Sed nihil amplius dicam de hoc morbo, quia tamen iis, quae *Wenzel* [18]) et *Cruveilhier* [19]) in praestantissimis de eo scriptis protulerunt, nihil novi addere possim. Potius nunc, in quonam durae matris latere tumor situs fuerit, respiciamus, id quod sine dubio memoratu dignissimum est. Quum enim omnes autores antiquiores, hunc morbum semper aut certe multo plerumque in externa membranae parte existere, putassent, *Cruveilhier* primus dicens [20]) „les tumeurs cancéreuses internes de la dure-mère sont incomparablement plus fréquentes que les tumeurs cancéreuses externes" contrarium ostendit. Attamen, eum recte judicasse, vix credam, quia ad opinionem ejus defendendam nulla causa mihi praesto est; potius alteram membranae laminam haud saepius pseudoplasmata gignere, quam alteram, *Cruveilhier* autem eam ob causam errasse, quia tumores arachnoideae saepius a dura matre oriundos putarit, est mihi persuasum.

In nostro casu fungum externae laminae insedisse haud verisimile est, quia tum, id quod tumores inter duram matrem et calvariam siti semper facere solent [21]), majorem

---

17) *Rokitansky l. c. I. 1. p. 125. s. fin.* — *Cruveilhier* hanc durae matris ad desorganisationes fungosas, cancrosas procreandas proclivitatem tam brevibus aptisque verbis explicat, ut mihi ea ipsa hoc loco afferre liceat: „Membrane douée d'une sensibilité qu'on voudrait vainement lui contester, abondamment pourvue de vaisseaux artériels et veineux, recevant quelques nerfs propres, tapissée à sa surface interne par l'arachnoïde, en communauté vasculaire avec les os du crâne et avec le périoste, la dure-mère doit sans doute à toutes ces circonstances la prédisposition singulière qu elle affecte pour la dégénérescense cancéreuse." (*Cruv. Anat. pathol. du corps hum. Paris* 1829—35. *t.* I. *pl.* I., II. et III., *livr.* VIII. *p.* 2. VIII.)

18) *cf. Jos. und Carl Wenzel, über die schwammigen Auswüchse auf der äusseren Hirnhaut, Mainz* 1811.

19) *cf. Cruveilhier, l. c. des tumeurs cancéreuses des méninges.*

20) *l. c. p.* 3., XII.

21) *Otto (Lehrbuch d. pathol. Anat.* I. *Berl.* 1830. *p.* 380. *s. fin.*) *dicit:* „Sitzt der Hirnhautschwamm an der äussern Oberfläche der dura mater, was der häufigste Fall zu sein scheint, so durchbohrt

vim in partem externam habuisset et ossa cranii aut magis excavasset aut omnino perforasset. Ex eo igitur, quod tumor adeo in cavum cranii versus cerebrum prominuit, concludi possit, eum laminae internae affixum fuisse; sed et hoc facile refutatur, quia eum ipsum dura matre adhuc obductum invenimus. Fuit igitur, quod quidem rarius sed tamen interdum observatum est [22]), tumoris nostri sedes intra durae matris laminas, ubi primum materia carcinomatosa sine dubio per inflammationem chronicam deposita est; deinde, quum tumor magnitudine augeretur, quamquam tarde, quia omnia cerebri pseudoplasmata decursum lentum faciunt [23]), versus partem externam tendens primum laminam durae matris externam comprimere et resorbere coepit; simul in tumore propter telam osseam finitimam terra ossea deposita sese conjunxit cum tela cellulosa totum tumorem perforante et in cellas dividente; dura matre resorpta compressio in os agere incepit et eo loco, qui primus dura matre privatus tumorem ipsum attigit, fungus primum cum osse concrevit; sine dubio autem ceterae quoque ossis sphenoidei partes denudatae, compressione aut solo contactu adhuc persistente, paulatim cum tumore coaluissent, nisi vita subito sublata esset. Hoc modo, ni fallor, decursus morbi nostri aptissime maximeque iiscum, quae de talibus tumoribus hucusque comperta habemus, convenienter explicatus est, quamquam, rem multo aliter sese habere potuisse, nemo sane est, qui neget.

Sed jam nos convertamus ad respiciendum, quaenam e multis, quas autores enumerant, pseudoplasmatum talium causis tumorem nostrum adduxerint. Quum autem hae pseudomorphoses per omnes occasiones, quae aut sanguinis ad cerebrum ejusque meninges impetum augeant, aut decursum ejus ad cordem impediant, quae igitur aut

---

er durch Resorption den Schädel mehr oder weniger . . ." *Burdach* (*vom Baue u. Leben d. Gehirns, Leipzig* 1826.) §. 258. dicit: „indem diese Aftergebilde besonders in der äusseren Fläche der festen Hirnhaut ihren Sitz haben, so wirken sie weniger auf das Gehirn als auf den Schädel" et §. 478. „alle Aftergebilde wirken mehr nach aussen als nach innen."

22) Laminas durae matris tali modo disjunctas fuisse, antiquiores autores, quorum *Otto* (*l. c.* §. 218. *Anm.* 5. *et* 220. *Anm.* 2.) complures enumerat, jam saepius observarunt; plerumque quidem aut serum aut fluidum purulentum s. ichorosum aut sanguis interpositus fuit. (*cf. Kilian, anat. Untersuch. d. neunten Hirnnervenp., p.* 127.; *Lobstein, compte rendu sur les travaux anatomiques* I. *p.* 56.; *J. Paisley in Edinb. medic. Essays* III. *p.* 304.; *Biermayer, museum anat. pathol. No.* 94.; *Vicq d'Azyr in Mém. de Paris* 1781. *p.* 497.); interdum autem tumores quoque, praecipue scrophulosi cohaerentiae sublatae causae fuerunt (*cf. Lieutaud, hist. anat.-medic.* 1796., *l.* III. *obs.* 218. *a.*; *Otto, seltene Beobachtungen, II.* I. *p.* 108. *No.* 59.; *Baillie, Anat. d. krankhaften Baues etc. p.* 246.; *Sömmering, Zusätze zu Baillie ebendas. Anm.* 517.; *Earle, on Paraplegie in London med. chir. Transact. Vol.* XIII. *p.* 11. *No.* 18.)

23) *Burdach* (*l. c.* §. 224.) dicit: „Die krankhaften Bildungsvorgänge nehmen im Hirn meist einen ziemlich langsamen Verlauf."

activam aut passivam cerebri hyperaemiam aut inflammationem efficiant, oriri posse satis constet, numerum causarum eas moventium ab autoribus prolatarum permagnum esse, haud est quod miremur; quarum tamen gravissimas tantum hoc loco afferre nobis liceat: *Burdach* e. g. tumores tales effici dicit per commotionem cerebri omnesque ejus causas [24]), per universalem corporis dyscrasiam, praecipue scrophulosin et syphilin [25]), per secretiones normales aut usitatas, praesertim exanthemata, ulcera capitis, haemorrhoides etc. subito suppressa [26]), per varias pulmonum affectiones, quibus respiratio libera impeditur [27]), denique per vehementiores, imprimis deprimentes animi motus [28]).

Finck [29]) „causam pseudoformationum proximam," ait, „abnormem nisum formativum esse, quo perturbatus et in morbosam viam deductus processus plasticus nascatur;" num autem, quae opinio olim ab omnibus recepta fuit, ad pseudoformationes orientes inflammatio postuletur, necne, propter tumores tales in cerebro hominum, qui vivi ne minima quidem inflammationis symptomata prae se tulerunt, inventos, dubium relinquit. Inter causas praedisponentes ille nominat habitum apoplecticum, maxime perniciosum viris a vicesimo usque ad quadragesimum aetatis annum, tum dyscrasias, imprimis

---

24) *Burdach (l. c.* §. 238.) memorans „die Erschütterung gibt ferner durch Störung des Bildungsherganges zu Entstehung von Aftergebilden Anlass" complures casus ejusmodi enumerat et infra (§. 260.) permultos addit, quibus tumores, longiore tempore post commotionem praeterito, exorti sunt.

25) *id. (l. c.* §. 260., 2.) dicit, hos tumores persaepe pendere a scrophulosi, raro tantum a syphili; postea autem (§. 531., 5.) verbis „so gibt auch die Unterdrückung von Krätze, Syphilis, Scropheln zum Entstehen von Geschwülsten im Gehirn Anlass" syphilin rariorem eorum causam esse, haud contendit.

26) *id. (l. c.* §. 260., 3.); eosdem tumores metastaticos commemorat quoque *l. c.* §. 279., 2. iisque exhalationes cutaneas subito suppressas jure addit.

27) *id. (l. c.* 275.) tales affectiones denominat: *pseudoplasmata pulmonum, hydropem pectoris, phthisin pulmonalem, pneumoniam* et satis apte, cerebri morbum haut fortuito sed per impeditam pulmonum functionem oriri, eo demonstrat, quod tum pseudoplasma eodem fere semper capitis in latere formatur, quo pulmones laborant.

28) *id. (l. c.* §. 389.) plerumque *moerorem luctumque*, haud raro quoque *iracundiam*, *timorem* ac *terrorem*, vel saepius *labores ingenii nimis intentos* hunc effectum habere, profert. Alio loco (§. 918. *s. fin.*) tumores hac causa effectos fere semper in cerebro sedere, demonstrat, quum e viginti tribus, quos enumerat, tumoribus animi motu provocatis duodeviginti in cerebro et quinque tantum in cerebello siti fuerint. Quod quidem e diversa utriusque organi magnitudine non solum facile derivari posse sed etiam necessarium esse mihi videtur; minime autem hanc ob rem, id quod *Burdach* ostendere vult, peculiarem inter animi motus et cerebrum exstare nexum concludam.

29) *Dissert. de encephali pseudomorphosibus. Frib. Brisig.* 1830. *p.* 9.

scrophulosam, syphiliticam, rhachiticam, scorbuticam; inter causas occasionales omnia, quae commotionem cerebri efficiunt, tum subitam temperaturae vicissitudinem, exanthemata, prae omnibus scabiem, suppressa, denique vires psychicas.

Cruveilhier [30]) nullas causas, nisi ictum, lapsum et commotionem affert, syphilin autem et scrophulosin nullam in tumores tales vim exercere credit. Multo aliter *Lobstein* de his dyscrasiis dijudicat, qui iis, imprimis syphiliticae et arthriticae [31]) summam vim in tumoribus formandis tribuit. *Miescher* [32]) paucas tantum causas enumerat, dicens „contusiones, vulnera, ut paucis, quaelibet ossium laesio, quae actionem plasticam in loco affecto auget, si talis corporis adest dispositio, facere potest, ut fungus exoriatur, quippe sanguinis mala mixtione vis vitalis, quae inest in fibrina exsudata, singularem in modum alienatur, ejusdemque commutatur organisatio.“ — Opinionem antiquiorem, quam *Thomann* [33]) protulit, „primariam tumorum causam sitam esse in deminuta cerebri irritabilitate, qua substantia cerebralis et quoad mixtionem et quoad formam transmutaretur,“ minus rectam negligere possumus.

Etiamsi autem, ut e literis praecedentibus elucet, causarum tumores moventium haud exigua copia enumeranda est, tamen ex iis omnibus ne unam quidem in nostro casu invenimus; neque enim aegrota nostra ulla dyscrasia laboraverat, neque ulla secretio usitata suppressa erat, neque vehementiores animi motus, neque cerebri commotio adfuerat etc.; sed videmus, in puella quaque ratione prorsus sana tumorem sine ulla nota causa oriundum; quod haud raro obvenire, inter alios autores supra laudati quoque *Cruveilhier* [34]), *Lobstein* [35]), *Miescher* [36]) testantur.

---

30) *l. c.* I., VIIIe *livr. p.* 3., XIII. „Le virus vénérien, le vice scrophuleux ne paraissent avoir aucune influence sur leur développement.“

31) *l. c.* II. *p.* 151, *Lobstein* de causa tumorum dicit: „sans doute dans ce genre d'altération la force plastique se trouve le plus souvent sous l'influence de quelque principe morbifique, notamment du *syphilitique* ou de *l'arthritique*.“

32) *l. c. p.* 85.

33) *cf. Annalen d. klin. Anstalt in d. Jul.-Hospit. zu Würzburg für d. Jahr* 1800. *Würzb.* 1803. *p.* 395.

34) *l. c. p.* 3., XIII. „les tumeurs cancéreuses internes de la dure-mère surviennent tantôt *sans cause connue*, tantôt etc.“

35) *l. c. p.* 151. „d'autres fois, cependant, *on n'a pu découvrir aucune cause morbide*, à laquelle on pût rapporter la formation de ces végétations.“

36) *l. c. p.* 85. „saepe vero etiam hi tumores *nullis causis externis*, quae quidem detegi possunt, exoriuntur.“

De loco, quem tumor in capite habuit, pauca tantum nobis dicenda sunt; eo enim, quod cum solo processu clinoideo postico dextro concrevit, sequitur, hic compressionem maximam maximeque diuturnam fuisse, hic igitur tumorem primarie ortum esse. Et hic ipse locus multo saepissime affectionibus quibuslibet laborat; partim enim, tumores tales saepius in dextra quam in sinistra cerebri parte nasci, jam *Mehlis* [37]) docet et *Burdach* [38]) causis firmat, partim in media cavi cranii parte omnes degenerationes propter maxima vasa ibi decursum facientia saepissime obvenire, ita ut nullum calvariae os tot affectionibus morbosis subjectum sit quam sphenoideum [39]) et ut dura mater e nulla fere parte tot tumores procreet, quam ex ea, quae sellam turcicam obducit [40]), satis constat.

Restant adhuc quaedam pathologico-anatomica, de quibus autem brevissimis verbis disserere potero; e. g. atrophia substantiae cerebralis per pressionem effecta, cujus casus noster nonnulla exempla praestantia praebuit, tam frequens atque nota est, ut ex innumeris, qui eam observarunt, testibus, me unum tantum fide dignissimum *Cruveilhier* [41]) nominasse, certo sufficiat. Per eundem autorem, substantiam cerebralem per

---

37) *Mehlis* praestantissimae commentationis (*de morbis hominis dextri et sinistri. Goettingae* 1818.) p. 12. demonstrat, cerebrum dextrum sinistro multo majorem sanguinis copiam continere ideoque hyperaemia, inflammatione, abscessibus, apoplexiis, variis degenerationibus e. g. nimia mollitie, duritie abnormi, steatomatibus aliisque tumoribus multo saepius laborare.

38) Eandem opinionem *Burdach* assecutus est et (*l. c.* §. 795.) variis factis eam confirmare tentat, quae brevissimis verbis hoc loco afferam: dextram cerebri partem plerumque majorem esse, testantur *Guenz* (*Haller, elem.* IV. *p.* 13.), *Georget* (*Ueber Verrücktheit. Aus d. Französ. v. Heinroth. Leipzig* 1821.), *Autenrieth* (*Handb. d. empir. menschl. Physiol. Tübingen* 1801.), *Reil* (*Beiträge zur Beförderung e. Curmeth. auf psychol. Wege. Halle* 1810—12. II. *p.* 76—82.); arteria carotis et vertebralis (teste *Sömmering, Gefässlehre p.* 106.) aeque ac sinus transversus (teste *Haller, elem. physiol.* IV. *p.* 147.) dextro latere majus lumen habet, quams inistro; denique carotis dextra magis primam aortae directionem sequitur, quam sinistra (teste *Bricheteau in Journ. complément. etc. Paris* 1816., I. *p.* 289.).

39) *Krebel* e. g. (*dissert. de anat. pathol. ossium capit. Halae* 1823. *p.* 32.) „longe plurimae abnormitates," ait „in osse sphenoideo s. parte sphenoidali (scil. ossis basilaris, de quo sermo est) conspicuae sunt."

40) *Cruveilhier* (*l. c.* VIIIe *livr. p.* 3., XII.) dicit: „à la base je crois devoir signaler trois points principaux comme plus particulièrement prédisposés à ce genre de maladies: 1) les gouttières olfactives, 2) *la selle turcique*, 3) le plan postérieur et le plan supérieur du rocher."

41) (*l. c. p.* 3., XIII.) „lorsq'une cause comprimant agit lentement sur le cerveau, cet organe s'accoutume à la pression, ou plutôt *la portion comprimée s'atrophie*" atque infra (p. 7. Réflexions) „du reste, on voit que les tumeurs ont pris naissance de la face interne de la dure-mère, qu'elles se sont développées du côté du cerveau, *qui*, lentement comprimé, *s'est en partie atrophié*. Je ne saurais trop appeler l'attention sur cette atrophie du cerveau etc."

compressionem aliamve causam summa atrophia laborantem sensim in primarium statum cellulosum redire [42]), certiores facti, in nostro casu n. oculomotorium dextrum idem subiisse et ad originem, ubi maxime a tumore compressus fuit, structuram nerveam amisisse et denuo telae cellulosae simillimum factum esse, parum miremur. — Eodem modo aliud phaenomenon pathologicum, quod memorandum nunc ultimum nobis restat, haud novi quidquam rariorisve praebet; sed hic ossium status per pressionem effectus atque a *Scarpa* primo a carie distinctus persaepe ab autoribus observatus et a variis vario nomine significatus est; *Otto* e. g. eum nominat *erosionem* s. *ἀναβρωσιν* [43]), *Miescher* [44]) et *Soltsien* [45]) *tabem ossium pressione effectam*, *Lobstein* [46]) *usure de l'os*, *Rokitansky* [47]) *Knochenaufsaugung*, *usuram*, *detritum ossis*.

Sed haec hactenus!

II. Symptomata morbosa e partibus cerebri laesis explicantur.

In omnibus cerebri morbis quum vim pathologico-anatomicam accuratius inspicere, id quod literis modo finitis fecimus, tum symptomata morbosa, quae inter vitam observavimus, ad commutationes post mortem repertas referre, summo studio omnique opera sane est dignissimum. Character enim anatomicus plerorumque morborum in cerebro prorsus peculiaris est multumque abhorret ab eo, quem eaedem affectiones in aliis corporis partibus nobis praebent; hoc alterum autem, quod diximus, non solum in physiologiam

---

42) *id.* (*l. c.* Ve *livr.*, *planch.* IV. *et* V., *p.* 2.) casum memorat, in quo adfuit „transformation de l'hémisphère droit en cellulosité, dans les mailles de laquelle était déposée une grande quantité de sérosité etc. et infra (*l. c. p.* 3.) addit „il n' y a pas là précisément arrêt de développement mais bien perversion de nutrition, *rétrogradation* de la presque totalité d'un hemisphère *à l'état celluleux*, *atrophie en un mot portée à son dernier terme.*“

43) *l. c.* I. §. 118.

44) *l. c. p.* 75.

45) *l. c. p.* 32. sub titulo „atrophia, laxatio.“

46) *l. c. p.* 161., ubi autor „j'appelle *usure de l'os*,“ dicit, „la perte de substance qui résulte de la pression exercée par une tumeur molle; dans ce cas la surface usée est rarement raboteuse et garnie d'aspérités; elle est, au contraire, assez lisse;“ atque infra inter varios, qui hunc ossium statum efficere possunt, tumores fungum quoque durae matris memorat.

47) *l. c.* II., 1. *p.* 146., 3.

cerebri accuratius cognoscendam, uti credunt, magnopere valet — de quo infra nonnulli dicturi sumus — sed quoque in diagnosi de morbi sede ideoque in cura instituenda maximi momenti est. Etiamsi enim locus, quem morbus quidam in cerebro tenet, de remediis internis eligendis raro tantum aliquid nos docebit, tamen, ubi capitis remedia externa, epispastica, rubefacienta etc. applicentur, maxime respiciendnm est; et ad resorbendum fluidum quoddam in antico cerebri lobo effusum, empl. vesicat. aut ungt. e tart. stib. in regione frontali applicatum sine dubio meliorem habebit vim, quam si talia remedia resorbentia colloces in occipite. Per certam autem de sede affectionis morbosae diagnosin aliud quoque magni pretii assequeremur; indicatio enim ad trepanationem instituendam eo multo firmior fieret neque tum gravis periculosaque illa operatio tam saepe, ut hucusque factum, sine ullo fructu susciperetur.

Si autem de morbi cujusdam cerebralis diagnosi sermo est, semper solum quaeri potest, ubinam situs, numquam fere, qualis sit[48]); symptomata enim, quae cerebrum morbo quodam affectum praebet, duplicis tantum sunt generis, aut symptomata inflammationis i. e. actionum cerebri nimis auctarum, aut pressionis i. e. functionum deminutarum aut omnino sublatarum[49]). Ex iis illorum, quippe quae non nisi ex inflammatione aut hyperaemia activa prodeant, causae facillime dignoscuntur; symptomata autem pressionis efficiuntur per tot tamque diversas causas[50]), ut inter eas, nisi alia signa praegressa aut comitantia lucem nobis afferunt, diagnosis institui plerumque nequeat. Pressio enim

48) *De Bey (dissert. inaug. de cerebri compressione. Berol.* 1840. *p.* 20.) recte de hac re judicat, dicens „nam hocce extra omnem dubitationem positum mihi videtur, multo prius morbos singularum cerebri partium indagatos fore, quam morbos hujus visceris in universum; cum facillime fieri possit, ut in comparandis observationibus de compressione aut mollitie etc. in universum ne ullum quidem symptoma inveniamus, quod omnibus cerebri partibus commune sit, sane autem symptoma, quod modo ad thalam. opt. aut ad pontem aut med. oblong. pertineat."

49) Hanc de cerebri compressi symptomatibus opinionem nunc a plerisque receptam *Fr. Nasse* quoque auctoritate sua confirmat secundum *De Bey* (*l. c. p.* 33.) dicentem „compressionem fortiorem significant symptomata actionis cerebri deminutae aut plane sublatae."

50) *De Bey* (*l. c. p.* 2. *et* 3.) compressionis causas affert „aquae aut gelatinae aut sanguinis effusionem, hydatides aliosve tumores hujusmodi, fracturas et depressiones cranii, pus accumulatum et in cavitate cerebralis substantiae contentum, tumores partim meningum partim superficiei alicujus cerebri partis adhaerentes, exostoses." — *Rich. Bright* (*Magaz. d. ausländ. Literat.* XXIV. *p.* 440.) compressionem effici dicit 1) per vasa sanguine tumida; 2) per apoplexiam serosam aut in ventriculis aut sub arachnoidea; 3) per sanguinem e vasibus ruptis extravasatum; 4) per tumores aut alias commutationes organicas in cerebro et meningibus, e. g. (*p.* 460.) hypertrophiam, indurationem, emollitionem, atrophiam etc.

vera provocatur non solum post inflammationem acutam aut chronicam per varios et substantiae cerebralis et ejus tegmentorum quum osseorum tum membranaceorum fructus inflammatorios e. g. effusiones aut serosas in hydrocephalo, aut sanguineas in apoplexia [51]), aut plasticas, quibus aut abscessus, aut tumores [52]) omnium generum formantur etc., sed etiam per hypertrophiam ipsam trium harum partium: cerebri, meningum, calvariae. Praeterea autem cerebri actiones quoque deminuuntur aut tolluntur quum per vulnera capitis cerebrum aut commoventia aut comprimentia aut partem ejus adimentia (inflammatione traumatica nimirum antea sanata), tum per nonnullos substantiae cerebralis morbos organicos [53]) e. g. indurationem, emollitionem [54]), atrophiam etc.

---

51) *Lallemand (recherches anatomico-pathologiques sur l'encéphale et ses dépendances. Lettre* VII. *p.* 120.) quidem, discrimen adesse, contendit, inter symptomata apoplexiae et pseudorganisationum; haec enim sensim evanescere posse, dicit, illa numquam, quia abscessus, tumores etc. solum *l'écartement*, apoplexiae autem *la rupture des fibres ou des lames du cerveau* efficerent; hoc autem omnino falsum nobis videtur. Partim enim per apoplexiam quoque fibras cerebrales non semper diruptas sed persaepe solum loco motas esse, disquisitio anatomico-histologica manifestum reddidit; partim talium fibrarum ,et nervearum et cerebralium revera ruptarum vim sensim omnino ad integrum restitui, optime scimus; partim denique cujusque apoplexiae non statim mortem provocantis symptomata paulatim deminui et saepe prorsus evanescere, experientia quotidie nos docet, Igitur hoc minus aptum a *Lallemand* prolatum esse mihi videtur. — Eodem modo varias propter causas *Serres* errasse censeo, dicentem *(archiv. génér. de méd. tom.* XXV., *Janv.* 1831. *p.* 134), symptomata in effusionibus sanguinis non pendere posse a vi compressoria hujus fluidi, sed multo magis ab anaemia singularum partium cerebralium. Itaque *Morgagni (epist.* IV., *art.* 33.) recte dicit: ,certe quid compressio cerebri per se possit, arte et casu ostensum accepimus cum in brutis animantibus tum in quibusdam hominibus, quibus fortuito pars cranii non parva ademta fuerat; *manu enim ad cerebrum appressa eadem quae in apoplexia symptomata accedebant, manu amota paulatim abibant.*" — Haud minus recte *Flourens (rech. expérim. sur les propriét. et les fonct. du syst. nerv. Paris* 1842., *p.* 280. §. 2.) dicit „l'épanchement d'un liquide quelconque n'agit sur un organe solide, que par *compression*" et alio loco (*p.* 301., III.) repetit „ainsi les épanchements n'agissent que par compression."

52) Satis quidem notum est, tumores cerebri persaepe symptomata irritationis praebere, quorum autem causa semper morbus quidam cerebri secundarius; igitur recte *Albers* (*Erläut. z. Atlas d. pathol. Anat.* 1. *Abtheil. Bonn* 1832. *p.* 211.) dicit: „an sich bewirkt jede Geschwulst nur die Zufälle des Hirndrucks" atque omnia alia symptomata ex commutationibus, quas partes cerebrales tumori adjacentes subeunt, nasci contendit.

53) *Bright* (*l. c. p.* 460.) hoc phaenomenon quidem memorat sed minus apte e sanguinis circulatione per morbos tales impedita declaratum esse vult; mihi haecce potius videtur causa esse, quod per nonnullos ejusmodi morbos e. g. hypertrophiam substantia cerebralis revera comprimitur, per alios autem e. g. emollitionem plane destruitur, quamobrem ejus vis omnino tollatur necesse est.

54) *Andral* (*clinique médicale etc. deuxième édit. tome* V. *Paris* 1833. *p.* 388. *et* 389.) qrimum confessus, omnia emollitionis symptomata valde incerta variaque neque ullum constans notum esse, postea

Permultos igitur status pathologicos ad naturam atque indolem valde diversos sed omnes eadem fere symptomata cerebralia provocantes [55]) exstare videmus, quorum diagnosis accuratior semper difficillima [56]).

Quibus praemissis postquam, quaenam cerebri affectiones eandem in valetudinem habeant vim, quam compressio, demonstravimus, nunc ad propositum nostrum regressi, singula nostri casus symptomata morbosa ad partes cerebri laesas referamus et ordinem chronologicum, quo alterum symptoma post alterum exstiterit, sequentes, simul, num

---

dicit: „pour certaines personnes, il est toujours facile de distinguer, par la différence de leur début, une hémorrhagie du cerveau, et un ramollissement de cet organe; pour d'autres, *une pareille distinction est souvent impossible*" et deinde (*l. c. p.* 391. *et seq.*) quatuor morborum casus enarrat, in quibus emollitio nullum symptoma morbosum effecit. — Ex permultis hujus morbi historiis, quas *Lallemand* in epistolae secundae secunda parte refert, satis elucet, symptomata emollitionis modo symptomata inflammationis modo pressionis esse, quae facillime dignoscuntur. — Quam similia autem symptomata emollitionis cum omnium fere cerebri affectionum morbosarum sint, *Bengelsdorff* (*dissert. de morbis quibusdam encephali organicis. Berol.* 1837. *p.* 16.) demonstrat verbis: „Nam illa symptomata, quae encephali emollitioni propria *Rostan* dicit, ita ad omnes hujus visceris morbos chronicos spectant, ut ex iis, peculiarem illam mutationem adesse, contendere non ausim."

55) *Andral* (*clin. médic. etc. p.* 637.) de cancro cerebri sermonem faciens plerisque cerebri morbis signa peculiaria plane deficere docet; dicit enim: „comme *tous les autres produits accidentels développés dans le cerveau,* le cancer *n'y révèle sa présence par aucun symptôme caractéristique*" et infra, ubi de capitis dolore unilaterali loquitur, addit: „mais si dans ce cas elle éclaire sur le siège de l'affection, peut-elle en révéler la nature? Non sans doute etc." — Eodem modo *Abercrombie* (*Krankh. d. Gehirns u. Rückenmarks. Uebers. v. Busch. Bremen* 1829. *p.* 420.) fatetur: „Wenn wir uns bemühen, die hervorstechendsten Symptome, die mit diesen verschiedenartigen krankhaften Zuständen in Verbindung stehen, nachzuweisen, so werden wir durchaus keine Gleichförmigkeit in denselben entdecken, wodurch es möglich gemacht werden könnte, bestimmte Symptome auf die verschiedenen Formen der krankhaften Zustände zu beziehen" etc.

56) Ex multis, quas *Burdach* (*l. c.* §. 510—512.) hujus rei causas affert, multae quidem omnino verae sunt, nulla autem tam gravis quam modo a nobis praelata videtur. — Rectam causae comprimentis diagnosin interdum statui non posse, *Cruveilhier* (*l. c.* VIII. *livr. p.* 4., XIV.) docet verbis: „mais il est des cas, dans lesquels l'erreur de diagnostic, au moins quant à la cause comprimante, est inévitable." *Magendie* (*leç. sur les fonct. et les malad. du syst. nerv. Tome* I. *Paris* 1839. *p.* 209.) quoque, sine dubio haud ineptus imperitusve hujus rei cultor, de apoplexia verba faciens dicit: „rien n'est moins aisé que de reconnaître pendant la vie le lieu précis qu'occupe le foyer." — Quod *Bright* (*l. c. p.* 452.) de diagnosis difficultate affert, magis ad sedem quam ad causam comprimentem referendum est; eodem modo *Abercrombie* (*l. c. p.* 429. *s. fin.*) dicit: „aus diesen Fällen wird man ersehen, wie ausserordentlich schwierig es ist, aus allgemeinen Principien oder aus besonders characteristischen Kennzeichen irgend etwas, welches auf den Sitz und *die Natur der Krankheit* Bezug hat, herleiten zu wollen."

eaedem cerebri partes sive compressae sive quoad effectum simili modo commutatae in aliis quoque casibus eandem semper in organismum habuerint vim, consideremus. Eos autem casus ab autoribus narratos, qui cum nostro ad sedem atque naturam compressionis prorsus conveniunt, una cum eorum symptomatibus et cadaverum dissectionibus accuratius respiciendis, infra capite peculiari enumeremus.

Primum symptoma, quod in aegrota nostra nobis occurrit, est *dolor capitis*, sine dubio constantissimus omnium morborum cerebralium comes [57]), quem omnes autores, qui hanc rem tractant, repertum memorant, modo vagum, ut in nostro casu, modo fixum et tum locum ipsum morbo affectum aut alium saepe longe ab illo remotum obtinentem, quod illi per consensum inter singulas cerebri partes explicare volunt; ita saepissime, quamquam tumor adfuit in lobo postico aut ad pontem et corpp. quadrigemina, dolor capitis regionem frontalem et supraorbitalem cruciavit. In nostro casu hoc unum tantum miratu dignum est, quod dolor, ut videtur, neque valde vehemens neque usque ad mortem perdurans adfuit, quum partes hic laesae ex autorum sententia maxima sensibilitate gaudeant. De hac re omnes fere cujusque temporis autores e. g. *Autenrieth* [58]), *Burdach* [59]), *Magendie* [60]), *Jobert* [61]), *Romberg* [62]) et alii prorsus consentiunt et *De Bey* [63]), singu-

---

57) cf. tabulas, quas *Burdach* (*l. c. p.* 299. *et* 300.) de frequentia doloris in variis cerebri affectionibus dedit.

58) *J. H. F. Autenrieth* (*Handb. d. empir. menschl. Physiol. Tüb.* 1801. III., §. 1039.) pedunculis cerebri, fundo ventriculorum, ponte et medulla oblongata laesis summum dolorem exoriri, affirmat, quod idem *Foderà* (*cf. Journ. de physiol. expérim. et patholog. par F. Magendie.* III. *p.* 192.) testatur.

59) *Burdach* (*l. c.* §. 912. *s. fin.*) peculiarem et proximam sensibilitatis sedem in pedunculo cerebri esse, contendit et alio loco (§. 723.) hujus experientiae testes *Haller*, *Arnemann*, *Flourens* et *Foderà* nominat.

60) *Magendie*, postquam hanc opinionem per complura experimenta firmavit (*leçons etc. p.* 246.), dicit: „il est donc de toute évidence, que la surface externe de la protubérance est sensible, et que même cette sensibilité est poussée à un très haut degré.“

61) *Jobert* (*de Lamballe*) (*études sur le système nerveux. Paris* 1838. *Tome* II. *p.* 620.) de tumoribus ad basin cranii sitis dicit: „les malades éprouvent des douleurs, qui vont en s'irradiant à l'extérieur du crâne et de la face, en suivant le trajet des nerfs, et qui sont si violentes, qu'elles arrachent des cris, qu'elles provoquent des convulsions dans les muscles de l'oeil, dans ceux de la nuque et de la face, et même des retractions dans les membres supérieurs.“ Hanc ultimam rem infra quoque, ubi de convulsionibus aegrotae nostrae loquemur, respici velimus. Alio loco (*l. c. p.* 739.) *Jobert* dicit: les tumeurs, qui se développent entre la voûte du crâne et le cerveau produisent peu de douleur, et en déterminent de très vives au contraire lorsqu'elles se développent à l'extérieur

larum partium cerebralium symptomata morbosa respiciens, tantum in compressione pontis Varolii dolorem semper adesse contendit. Causa autem, cur in hoc casu dolor capitis tam exiguus fuerit et tam breve tempus perstiterit, in eo posita fuisse mihi videtur, quod in aegrota nostra omnes cerebri actiones valde debiles parumque evolutae a systemate gangliorum vegetativo longe superatae fuerunt.

De *imbecillitate aegrotae paulatim aucta*, quippe quae cujusque paralyseos non repente sed sensim exortae prodromus sit usitatissimus, nonnulla simul ad paralysin absolutam spectantia infra de symptomatibus paralyticis dicturi proferamus.

Pari modo perpauca tantum nobis memoranda sunt de *eximia aegrotae nostrae somnolentia*, quippe quae tam constans compressionis cerebralis symptoma sit, ut omnes scriptores de hujus cerebri status symptomatibus locuti sine ea compressionem numquam existere, putarint et ut jam *Boerhaave* [64]) inter undecim, quae enumerat, cerebri compressi symptomata primum *hebetudines*, deinde *sopores* nominet. Praeterea unum tantum eumque fide dignissimum testem, per compressionem cerebri revera somni cupidinem augeri, afferamus *J. Mueller* [65]), qui majorem proclivitatem ad somnum in situ horizontali e pressione per sanguinem largius cerebro affluentem deducit.

Digestionem aegrotae usque ad finem optimam fuisse, non est, quod miremur; e contrario enim scimus, persaepe actionem nervi sympathici integram remanere aut vel augeri [66]) eodem modo, quo actiones cerebrales deminuuntur; ita homines manustupra-

---

de la protubérance annulaire, dans les environs des tubercules quadrijumeaux et des nerfs qui en partent.

62) *Rombery* opinionem, quam *Magendie* de hac re statuit, recipiens dicit (*Lehrb. d. Nervenkrankh. d. Menschen. Berl.* 1840. *p.* 160.); Nach diesen Versuchen an Kaninchen und Hunden zeigen sich am empfindlichsten, so dass schon leise Berührung heftigen Schmerz erregt: die corpp. restiformia und die Oberfläche der Varolsbrücke, zunächst die der Basis nahgelegenen Schichten des kleinen Gehirns und die Vierhügel.“

63) *De Bey* (*l. c. p.* 78.) de compressione corpp. quadrigeminorum: „dolor capitis, dicit, „variis in locis, semel supra oculum,“ de compressione pontis Varolii autem: „dolor capitis semper adest.“

64) *Boerhaave* (*Aphorism.* 267.) haecce enumerat: 1) hebetudines; 2) sopores; 3) vertigines et caligines; 4) tinnitum; 5) deliria; 6) vomitum bilis; 7) dolores capitis; 8) convulsiones; 9) paralyses; 10) lotii faecumque spontaneum exitum; 11) apoplexiam, febres, mortem.

65) *cf. J. Müller, Physiol. etc.* 1839. II., 6. *p.* 579., *cap.* IV. *sub artic.* „*Vom Schlaf.*“

66) Quod sine dubio *Lallemand* ante oculos habet, dicens [(*l. c. epist.* VIII. *p.* 338. *s. fin.*) „en examinant encore ces observations sous un autre point de vue, vous verrez que les impulsions de l'instinct persistent malgré l'abolition de l'intelligence et semblent même plus prononcées, parcequ'elles ne sont plus dominées par la raison: *ainsi*, par exemple, *tous ces malades montrent un appetit vorace etc.*

tioni deditos plerumque summa macie affici videmus; simulatque autem vita cerebralis antea morbosum in modum excitata atque aucta, ut ita dicam, prorsus sublata, nervique quasi interfecti sunt, tum haud raro assimilatio optima redit, ita ut aegroti denuo aeque aut vel melius nutriti fiant, quam antea fuerunt. Simile exemplum, ubi per affectionem morbosam nervus sympathicus majorem vim assequitur, quam nervus cerebralis, afferam ex ophthalmologia; hoc enim modo nonnulli recentiorum hujus disciplinae cultorum, e quibus solum praeceptorem carissimum maximeque mihi colendum *Ruete* Goettingensem nominem, mydriasin et in digestione turbata, ubi sympathicus e. g. per vermes intestinales irritatur, et in cerebri compressione, ubi n. oculomotorius vim suam amittit, explicare volunt, dicentes, nervum illum e ganglio ophthalmico ramulos mittere in stratum musculare iridis longitudinale, radiale, cujus contractione pupilla amplificaretur, hunc autem in stratum circulare, cujus contractione pupilla arctior fieret. Quae sententia, quamquam nondum omnia per indagationem accuratiorem anatomicam firmata esse mihi videntur, tamen sine dubio haud est negligenda. Pari modo in nostro casu, cerebri actionibus sublatis, systema gangliosum vim suam servavit.

Pulsus in casu nostro, ut vidimus, *irregularis*, *inaequalis*, *parvus*, *frequens* nihil singularis aut rarioris obtulit, quum eum in omni cerebri compressione valde similem esse, jam *Burdach* [67]) memoret. Quaenam autem pulsus tali modo mutati causa sit, aut, quod idem est, in quanam systematis nervei parte vis cordis commotrix sita sit, de hac re autores nondum consentiunt sed adhuc sub judice lis est. Quam dijudicare quum haud tironis sit, hoc loco tantum memoremus, singulas antiquiorum autorum de hac controversia sententias optime collectas esse a *Burdach* [68]); inter recentiores autem *Budge* [69]) et autorum sententias accuratius perpendens et ipse

---

67) *Burdach (l. c.* §. 303., *d.)* de statu pulsus in cerebri compressione nonnulla a variis auctoribus observata memorat, quae nos hic fere omnino eadem invenimus; dicit enim e. g., in apoplexia pulsum plerumque irregularem, inaequalem, durum, tensum, interdum intermittentem aut tardum aut suppressum fuisse, per ossa cranii autem aut alia corpora aliena in cerebrum irrupta eum contractum, durum, parvum, modo frequentem, modo rarissimum fieri etc.

68) *Burdach, l. c.* §. 300-304.

69) *cf. Untersuch. über d. Nervensyst. Frankf. a. M.* 1841., I. §. 12., *artic.*: „*Beweg. d. Herzens,*“ *besonders p.* 139. *et* 140. — Eandem sententiam *Burdach* quoque sequitur, dicens (*l. c.* §. 879.): „Das verlängerte Mark ist endlich der Centralpunct aller Hirnnerven, welche mit dem Gefässsysteme in näherer Verbindung stehen . . . und da seine Nerven auch mit dem Rumpfnerven in der vielfachsten Verbindung stehn, so muss seine Thätigkeit mit dem Gefässleben inniger zusammenhängen, als die eines andren Hirntheils etc.“

experimenta instituens, cor moveri, inquit, a nervis, qui ex anterioribus s. inferioribus medullae et cervicalis et oblongatae funiculis exorti per nervos sympathicos ad cor pervenirent; quam opinionem *Volkmann*[70]) falsam rejicere studet, *Valentin*[71]) autem illius sententiam neque laudans neque vituperans, hujus autem oppositionem causis sufficientibus carentem repudians suam ipsius opinionem non in medium profert, sed solum dicens; „Ich gebe übrigens gern zu, dass gerade die Herzbewegungen in dieser Beziehung den meisten Controversen blossgestellt werden können,“ satis fecisse sibi videtur. Dignioribus igitur illis judicibus difficilem hanc litem componendam committamus et redeamus ad propositum.

Sanguinem menstrualem ab aegrota nostra usque ad mortem normali typo atque usitata copia secretum esse, eo minus inopinatum nobis videri potest, quia illud organon, quod ex omnium fere peritorum judicio solum arctiore cum functionibus sexualibus connexu gaudet, cerebellum hic nullo modo affectum erat.

Singuli motus spasmodici in aegrota exploranda observati convulsionum verarum aut paralyseos imminentis prodromi satis noti sunt. Minus notum aliud phaenomenon est, nempe *dolor haud exiguus et vehementes superioris corporis partis spasmi per vertebras dorsales et postea quoque cervicales parum modo pressas;* hoc, quamquam a nullo autore invenimus memoratum, utrum symptoma consensuale habendum sit, an revera transitoria medullae spinalis irritatio inflammatoria postea per methodum antiphlogisticam sublata adfuerit, dubium relinquentes paucis verbis casum nostro simillimum referamus, narratum a *Kliemstein*[72]): „Juvenis viginti quatuor annos natus, qui jam per duos annos saepe incessu infirmo et vertigine laboravit, subito una cum magna vertigine eximia crurum imbecillitate et vehemente dolore ad occiput, praecipue media nocte primaque luce aucto affectus est, ad quem mox motus cervicis et brachiorum spasmodici accesserunt; simul digestio turbata, solutio alvi tarda, lotium rubicundius, pulsus suppressus, parum frequens; quum inter explorationem mediae vertebrae dorsales leviter tactae permagnum dolorem moverent, inflammatio chronica dignota et cura antiphlogistica instituta est. Qua primum quidem symptomata priora mitigata sunt, mox autem denuo magnopere

---

70) *Volkmann: „Ueber die Beweiskraft derjenigen Experimente, durch welche man einen directen Einfluss der Centralorgane auf die Eingeweide zu erweisen suchte“* in *Mueller's Archiv*, 1842. *H.* V. *p.* 372. *et seqq.*

71) *Valentin*, *Repertor. für Anat. u. Physiol.* VIII., 2. 1843. *p.* 323—327.

72) *Mediz. Jahrbüch. d. k. k. österreich. Staates, B.* 28. *oder: Neueste Folge* XIX, *B.* IV. *St. p.* 540.

aucta, levi tantum per chininum adhibitum remissione intercurrente, per duos menses usque ad mortem continuo perduraverunt. Cadaver dissectum cetera omnia sana ostendit; aperto autem cranio non modo hyperaemia universalis et in ventriculis lateralibus tres circiter fluidi serosi unciae apparuerunt, sed etiam loco sinistri cerebelli hemisphaerii fere prorsus resorpti adfuit steatoma rotundum permagni ovi gallinacei magnitudinem adaequans; in columna vertebrali autem, ut videtur, nihil pathologicum repertum est.“ Hic casus relatus, qui, excepta sola tumoris sede, sine dubio maximam similitudinem cum nostro exhibet, pro ceteris omnibus, quae de phaenomeno supra memorato proferre possim, jam sufficiat.

Omnia igitur, quae hucusque accuratius observavimus, symptomata per methodum antiphlogisticam et praecipue per majorem quietem, qua nunc aegrota fructa est, aliquamdiu lenita sunt, tum autem, ubi per graviores labores sanguinis impetus ad caput igiturque tumor denuo auctus est, redierunt vel combinata cum aliis, de quibus nunc pauca proferamus.

Oculus dexter laboravit strabismo interno — hoc facillime explicatur e situ tumoris et nervorum; ille enim, ut jam supra diximus, originem cepit in dextro latere, quamobrem oculus dexter, non sinister, prior affectus est; hi autem, ut postea invenimus, tali modo decursum fecerunt, ut nerv. oculomotorius supra tumorem, nerv. abducens autem per eum medium decurreret, ideoque a massa circumdante pressus vim suam amitteret; qua re musculus rectus externus paralysi affectus est, internus autem nunc antagonistâ carens, bulbum ad nasum convertit.

Facultas loquendi deminuta atque alienata, postea omnino sublata est. — Ad explicandum hoc symptoma in cerebri pressione valde vulgare et a plerisque autoribus memoratum prae caeteris, ubi ex autorum sententia haec facultas sita sit, videamus necesse est. Quod praecipue medici Gallofrancici indagare studuerunt, inter quos *Andralio*[73]) referente, *Recamier* centrum ovale Vieussenii, *Foville* cornu Ammonis, *Serres* corpus striatum, *Bouillaud*[74]) lobos cerebri anteriores primariam illius facultatis sedem esse contendunt. Priores quidem illos valde errasse, dubitari non potest, quum innumera

---

73) *Cours de pathologie interne*, IIIe *livr.*, *Paris* 1836. *p.* 98.

74) Cf. quoque *Longet (anatom. et physiol. du syst. nerv. tom.* I. *Paris* 1842. *p.* 659), qui dicit: „*M. Bouillaud* d'après de nombreuses recherches pense que le principe nerveux, dont il est question et qu'il nomme *organe législateur de la parole*, réside dans les lobules antérieurs du cerveau. Il faudra, ajoute *M. Bouillaud* (*Traité de l'encéphalite. Paris* 1825. *p.* 159), que dans les cas où les lobules antérieurs du cerveau seront altérés, la parole soit plus ou moins dérangée, et réciproquement etc.“

exempla exstent, in quibus, voce impedita aut amissa, loca ab illis nominata prorsus sana, aliae autem cerebri partes morbo aliquo affectae fuerunt; horum autem sententiae magis verisimiles videntur, quum lobus cerebri anterior aut corpus striatum, symptomate illo observato, sine dubio multo saepius statu pathologico commutata inveniantur, quam centrum ovale aut cornu Ammonis. Sed hoc quoque aliter nempe e majore lobi cerebri circuitu et e situ corporis striati in media cerebri parte, quae, ut supra memoravimus, omnibus morbis maxime est obnoxia, (*Brightio*[75]) autore corpus striatum ipsum saepissime apoplexia afficitur), explicandum censeo; hos autem autores et ipsos errasse, multa argumenta praesto sunt; etenim jam hoc, quod tam periti atque seduli perscrutatores plane diversas longeque inter se remotas partes significantes, alter alteri omnino contradicunt, utriusque sententiam valde dubiam atque infirmam reddit; praeterea autem revera haud pauca exempla ab autoribus narrata exstant, ubi, partibus illis prorsus integris, vox amissa erat nec alia desunt, ubi vox nullo modo turbata fuerat, partes autem illae variis gravioribus statibus pathologicis laborantes repertae sunt. Sic facultas loquendi sublata fuit, aliis cerebri partibus incolumibus, per morbos lobi posterioris[76]) aut medii[77]) aut utriusque[78]), nec non per statum unius cerebelli partis mor-

75) *Bright (l. c. p. 454 s. fin.)* dicit: „Die Stelle, wo das Extravasat sich am häufigsten findet, ist die äussere Seite des corpus striatum in beiden Hemisphären etc.“

76) Cf. e. g. *Andral, clin. méd. etc. p.* 316. IVe *observ.:* épanchement de sang dans le lobule postérieur de l'hémisphère gauche. Perte subite de la parole etc.“ cf. *id. p.* 319. Ve *observ.*, ubi quoque per apoplexiam lobi postici sinistri vocem sublatam fuisse, verisimile est; autor enim dicit „il nous fut impossible d'obtenir de lui la moindre parole.“

77) Cf. e. g. *Lallemand (l. c. epist.* V, *p.* 237), qui in lobo medio sinistro per indurationem, tumorem atque emollitionem prorsus destructo, inter symptomata quoque enumerat *parole nulle.* — cf. *Andral clin. méd.* V. *p.* 322. VIe *Observ.*: „épanchement de sang dans la partie moyenne de l'hémisphère gauche etc. Perte de la parole etc.“ — Cf. *Lallemand l. c. epist.* VI. *p.* 446 *No.* 9: Phthisie pulmonaire, perte de la parole, mort subite.“ — Cf. quoque *Andral (cours de pathol. int.* III. *p.* 98); in femina duobus ex annis voce plane privata solus lobus medius emollitus erat. — Sed, omissis aliis talibus exemplis frequentissimis, afferamus solum nonnulla verba, quae *Andral (clin. méd.* V. *p.* 382) de hac re dicit: „nous avons rassemblé quatorze cas où il y avait abolition de la parole sans aucune altération dans les lobules antérieurs. De ces quatorze cas sept étaient relatifs à des maladies des lobules moyens et sept autres à des maladies des lobules postérieurs.“

78) Hujus status unum tantum afferamus exemplum, quod, mirabile dictu, *Bouillaud* ipse (*l. c. observ.* 33.) demonstraturus, sedem vocis esse anticum cerebri lobum, enarrat, quamquam vox quidem sublata et tota pars hemisphaerii sinistri posterior emollita, lobus ejus anterior autem omnino sanus repertus est, ita ut *Lallemand (l. c. epist.* VI. *p.* 453) de hoc casu dicat: „c'était donc uniquement la faculté d'exprimer sa pensée par des mots, qui lui manquait et cependant rien de plus positif que l'absence de toute lésion dans le lobule antérieur.“

bosum[79]); e contrario vox saepe plane integra servata est, quamquam lobus cerebri anterior vario modo destructus fuit[80]), aut alter[81]), aut denique ambo[82]) prorsus defuerunt; eodem modo, voce minime impedita, haud raro corpus striatum pathologice commutatum fuit[83]) atque unus casus adest, in quo loquendi facultas haud defuit, quamquam non solum corpus striatum sed simul quoque lobi antici valde aegra reperta sunt[84]). Quamquam autem altera harum sententiarum per auctoritatem illorum[85]), qui,

79) *Lallemand (l. c. epist.* II. *p.* 134) refert casum enarratum a *Rougier*, ubi aeger quidam, qui „lorsqu'il revint à lui il ne pouvait plus parler“ post mortem nihil pathologici praebuit, nisi „ramollissement en bouillie de la substance blanche du cervelet, du côté gauche seulement.“

80) *Lallemand (l. c. epist.* VI. *p.* 443. *No.* 8) observationem a *Wedemeyer (cf. revue médicale, t.* I., *janv.* 1826. *p.* 137) relatam affert, ubi, voce numquam impedita, lobus anterior sinister ex altera parte induratione, ex altera emollitione laboravit, quod *Lallemand* praesertim memorat, dicens (p. 446): remarquez qu'ici l'altération avait son siège à la surface du lobe antérieur du cerveau, comme dans l'observation précédente, et qu'à aucune époque le malade n'a éprouvé de gêne dans la parole.“ — Cf. *id. (epist.* VI. *p.* 407. *No.* 1), ubi lobus anticus sinister induratus, vox sana fuit, nec non *id. (epist.* VII. *p.* 10. *No.* 2), ubi vox uno tantum die turbata, ceterum usque ad obitum omnino libera remansit, in anteriore autem lobo sinistro tumor scirrhosus et induratio reperta sunt. — *Andral*, qui complures tales casus contulit, de iis dicit *(clin. méd.* V. *p.* 382): „sur trente-sept cas observés par nous ou par d'autres, relatifs à des hémorrhagies ou à d'autres lésions, dans lesquels l'altération résidait dans un des lobules antérieurs ou dans tous les deux, la parole a été abolie vingt-une fois, et conservée seize fois.“

81) *Lallemand* in l. c. epistola octava duo exempla affert, alterum *(p.* 251. *No.* 34.) a *Gintrac* enarratum *(cf. arch. génér. de méd., Nov.* 1826. *p.* 472), ubi idiotae cujusdam lobus anticus sinister defuit, quae tamen, ut omnes ejusmodi homines, nonnulla syllaba ediderat, alterum *(p.* 259. *No.* 37. *Triandière. La Clinique t.* 3. *no.* 68), ubi in alio idiota, qui voce sua usus esse videtur, quum de „ses assertions“ sermo sit, totum hemisphaerium dextrum deficiens per laminam membranaceam suppletum fuit.

82) *Cruveilhier (l. c.* VIII e *livr. pl.* VI. *p.* 1—3) unum talem casum a compluribus autoribus citatum memorat, ubi idiota quaedam, quae „quand elle était pressée de faim, l'exprimait à l'aide de quelques mots bien nettement articulés,“ lobis anterioribus omnino caruit; quamobrem autor infra addit: „Donc, la faculté d'articuler les sons, ne réside pas plus dans les lobes antérieurs, que dans les lobes moyens, que dans les lobes postérieurs.“

83) Inter permultos tales casus duo tantum ab *Andral (clin. méd.* V. *p.* 332. IXe *observ. et p.* 335. Xe *observ.)* narratos afferam, ubi apoplexia corporis striati adfuit, de voce amissa autem nihil annotatur; alii autem casui *(p.* 410. VIIe *observ.)*, ubi per emollitionem corporis striati membra paralysi affecta erant, perspicue additur, nullum aliud symptoma cerebrale adfuisse.

84) Hunc casum observatum a *Bayle* et *Kergaradec (cf. Nouv. biblioth. médic. Févr.* 1823) invenies citatum a *Lallemand (l. c. epist.* VII. *p.* 25. *No.* 5): aegrotus, qui vocem adhuc servatam ultimo demum vitae die amiserat, in lobo antico sinistro quatuor tumores, in substantia cerebrali circumjacente autem emollitionem praebuit, quae quoque in lobo antico dextro et in corpore striato sinistro reperta est.

85) Inter multos autores hanc sententiam secutos duo tantum recentiores nominem, *Longet* et

in cerebri hemisphaeriis omnes ingenii facultates sitas esse contendunt, quodammodo firmatur, quamquam altera a *Bright*[86]) quoque adjuvari videtur, tamen per omnia ea, quae praemisimus, coacti, consentiamus necesse est cum *Andral*[87]) dicente: „De tous ces faits, il résulte que l'hémorrhagie des centres nerveux produit souvent l'abolition de la parole. Que bien que l'on doive admettre qu'il y ait quelque lésion différente chez celui qui a perdu la faculté de parler, que chez celui qui l'a conservée, *cette lésion est encore un mystère pour nous.*"

Quamobrem hac facultate aegrotae nostrae amissa, quippe de qua nondum quidquam certioris dicere possimus, relicta jam ad aliud symptoma observandum transeamus. *Incessus vacillans* factus est sine dubio partim propter vertigines vehementissimas, quibus, symptomate quum ex autorum judicio tum ex ea experientia, quam quotidie instituimus, omnium morborum cerebralium maxime vulgari, aegrota laboravit, partim propter eximiam membrorum imbecillitatem et lassitudinem, quae in hoc quoque casu, uti assolet, paralysin postea secutam antecessit.

De *memoria debilitata* perpauca tantum proferenda sunt; inter permultos enim, qui hoc symptoma in cerebri morbis haud raro obvenire memorant, autores *Burdach*[88]) e. g. jam dicit, memoriam modo paululum tantum turbatam, modo omnino amissam aut de singulis solum rebus sublatam, de aliis integram servatam esse. De loco autem, quem

---

Flourens, quorum ille (*l. c. p.* 661. *usq. ad* 666.) omnium autorum de hac re sententias respiciens, postremo dicit, facultates intellectuales atque instinctum in hemisphaeriis et quidem praecipue in substantia eorum corticali (quod inter antiquiores *Willis* „*de anatome cerebri etc. cap.* X. §, IV. *p.* 76. *Amsterd.* 1683" et *Vieussenius* „*Nevrogr. univ.*", *cap.* XVIII. *p.* 113. *Lyon* 1685," inter recentioros e. g. *Foville* „*Dictionn. de médec. art.*: *Encéphale et aliénation mentale*" confirmant) sita esse, cerebellum tamen haud omni vi carere. *Flourens* autem id, quod jam in prooemio l. c. (p. XIII.) enunciat: „ainsi donc, les facultés intellectuelles et perceptives résident dans les lobes cérébraux" postea aliis verbis usus saepius repetit e. g. *p.* 24. „quand on enlève les lobes cérébraux à un animal, l'animal perd toute intelligence, et par conséquent toute perception" et *p.* 92: „les lobes cérébraux sont donc le réceptacle unique des perceptions, des instincts, de l'intelligence" etc. et hanc suam opinionem permultis experimentis ingeniosissime institutis probat.

86) *Bright* (*l. c. p.* 453 *fin.*) dicit: „Sehr häufig sind die Sprachorgane bei der Apoplexie afficirt, entweder findet eine förmliche Paralysis der Gesichtsmuskeln statt, oder die Muskeln des Larynx und der Zunge sind afficirt; in letzteren Fällen war oft Druck oder Verletzung des hinteren Theiles des corpus striatum gefunden worden, während in andren Fällen von Hemiplegie ohne Verlust der Sprache diese Theile unverletzt waren."

87) *Cf. Cours de pathologie interne*, IIIe *livr. Paris* 1836. *p.* 99 *init.*

88) *Cf. l. c.* §. 381.

haec facultas in cerebro teneat, *Burdach* nihil profert, sed permultos casus enumerat[89], ubi, valde diversis cerebri partibus variis morbis affectis, oblivio eodem semper modo adfuit. *Cuvier*[90]) autem ex iis, quae *Flourens* instituit, experimentis, in cerebri hemisphaeriis, ubi, ut supra diximus, omnes ingenii facultates sitae esse dicuntur, memoriae sedem esse, concludit, quam opinionem *Longet*[91]) quoque et *Flourens*[92]) adepti sunt.

Magna ambulandi cupido sine dubio symptoma valde singulare omnique diligentia dignum, attamen non solum in nostro casu observatum est; sed *Piédagnel*[93]) prorsus similem refert, ubi eadem insignis circumcursandi cupido adfuit et post mortem complures tumores a substantia cerebrali emollita circumdati in anteriore, superiore et posteriore lobo reperti sunt. Quomodo hoc autem in nostro casu aptissime explicari possit, non satis scio; sane, ut haud raro in aliis quoque cerebri affectionibus fieri solet, una cum memoria amissa fuit voluntas, quae ex autorum sententia cum omnibus aliis ingenii facultatibus in hemisphaeriis et quidem, *Burdachio*[94]) teste, in substantia eorum medullari sita est; cur autem nostra aegrota, ipsa invita, ad perpetuos motus coacta sit, cur alius aeger, in cujus basi cerebri quoque, *Abercrombie*[95]) referente, tumor magnus repertus est, ipso invito ab uno usque ad centum continuo numerarit etc. — hoc problema remanet sane non facile solvendum. In nostro casu revera complures cerebri partes, quibus nonnulli autores peculiarem cum quibusdam motibus nexum attribuunt, laesae fuerunt;

---

89) *Cf. l. c.* §. 666, ubi de affectionibus dynamicis et §. 667, ubi de morbis s. d. mechanicis sermo est.

90) *Rapport sur quelques travaux de M. Flourens* (in: *Flourens, rech. expér. etc. p.* 60—84), in quo *Cuvier* (*p.* 79) dicit: „que si nous voulions encore ajouter à cette attribution, nous dirions que les lobes cérébraux sont aussi le réceptacle où toutes les sensations prennent une forme distincte et laissent des traces et des souvenirs durables; *qu'ils servent*, en un mot, *de siége à la mémoire*, propriété au moyen de laquelle ils fournissent à l'animal les matériaux de ses jugements.

91) *L. c. p.* 653, quo loco *Longet*, se omnino cum modo a nobis laudata opinione, quam *Cuvier* proposuit, consentire, affirmat.

92) *Flourens* (*l. c. p.* 36. *et* 37.) dicit: „*la mémoire*, la vision, l'audition, la volition, en un mot toutes les perceptions, disparaissent avec les lobes cérébraux."

93) Cf. *Magendie, journ. de physiol. expérim. et pathol. Paris.* III. *p.* 247.

94) *L. c.* §. 716. *Burdach* dicit: „Mithin glauben wir, dass *in der Marksubstanz* die Richtung, Sinn und *Wille ihr Organ finden.*" — *Flourens*, loco supra citato, inter eas, quae una cum lobis cerebri auferuntur, facultates nominat quoque *la volition.*

95) *Ueber die Krankheiten des Gehirns und des Rückenmarks. Aus d. Engl. v. Fr. de Blois. Mit einem Anhang über Geschwülste im Gehirn v. Fr. Nasse. Bonn* 1821. *p.* 231.

sed ex iis motus illos protenus versos derivandos esse, vix credam. *Magendie*[96]) primus per experimenta in animalibus instituta, in *corporibus striatis* vim quamdam esse retrorsus pellentem, retrahentem, ostendit, qua per illarum partium sectionem sublata animalia involuntarie protenus agerentur, quia tum opposita vis propellens, alibi sita, sola ageret; quam opinionem historia aliqua morbi a clar. *Romberg*[97]) relata firmare videtur. Attamen alii autores ei magnopere contradicunt; sic e. g. *Jobert*[98]) quatuor vires motorias a *Magendie* receptas et certis cerebri partibus adscriptas omnino negat; *Longet*[99]) suis atque iis, quae *Lafargue* instituit, experimentis nixus dicit: „des faits précédents, nous concluons aussi que la force motrice spéciale, que *M. Magendie* place dans les corps striés, est une force purement imaginaire;“ *Andral*[100]) autem dicens, in homine saepe corpora striata aut per apoplexiam aut per emollitionem destructa reperta esse sine tali progrediendi cupidine, experimenta illa quamquam vera beneque instituta ad hominem non referenda esse censet. Denique *Magendie* ipse alio[101]) loco docet, phaenomenon supra memoratum numquam per unum tantum corpus striatum ablatum effici, quia alterum ad vim illam exercendam sufficeret. Quamobrem hic, ubi alterum solum corpus striatum per pressionem extenuatum, alterum prorsus sanum repertum est, motus illos protenus versos hoc modo explicare nequimus.

---

96) *Leç. sur le syst. nerv. etc.* I. *p.* 248: „ainsi, par exemple, je vais couper et extraire les corps striés, vous allez voir l'animal courir en avant comme emporté par une impulsion irrésistible.“

97) Cf. *Lehrb. d. Nervenkrankh. d. Menschen.* I. *Berlin* 1840. *p.* 545 *et seq.*

98) *Jobert* (*l. c.* II. *p.* 442) dicit: Ces expériences sont loin de démontrer les quatre forces que *M. Magendie* a bien voulu admettre pour se rendre compte des résultats de son expérimentation ..., qui, suivant nous, s'expliqueraient à merveille par le fait de la volition, sans être forcé d'admettre *des divisions, qui ne nous paraissent nullement fondées etc.*“

99) *Cf. l. c.* I. *p.* 517.

100) *Andral* (*cours de pathol. etc.* IIIe *livr. p.* 102) dicit: „Chez l'homme les corps striés sont souvent altérés par des hémorrhagies ou des ramollissements, sans que le phénomène de la progression en avant se rencontre. Ainsi, tout en sachant très bien ce qui se produit chez les animaux, il est impossible, d'assigner, chez l'homme, l'organe malade qui produit ce phénomène.“

101) *Magendie* (*lec. etc.* I. *p* 280): „Je viens d'extraire un des deux corps striés. Rien encore de modifié dans les mouvements. C'est qu'en effet celui qui reste suffit pour maîtriser la force d'impulsion qui entraînerait l'animal en avant. Vous comprenez maintenant, pourquoi chez des personnes, qui ont succombé à une hémorrhagie cérébrale vous trouverez tout un corps strié désorganisé, sans cependant que pendant la vie elles aient obéi à des mouvements de progression indépendants de la volonté.“

Sed alia pars, cui vis quaedam motoria adscripta est, pons Varolii, partim per depressionem partim per excavationes profundas vel magis destructa fuit. Quamquam *Jobert* (*l. c. p. 441*) affert, *Magendie* vim propellentem in ponte et cerebello posuisse, tamen equidem neque in libro memorato, quem *Magendie* scripsit, neque iis locis, quibus *Burdach*, *Andral* et *Romberg* de experimentis ab illo institutis verba faciunt, illam opinionem citatam inveni, sed ubique solum cerebellum hac ratione nominatur. Potius *Magendie* ipse saepius dicit[102]), per sectionem fibrarum pontis transversarum unilateralem exstare motus rotatorios versus latus laesum, quod *Flourens*[103]) quoque affirmat, per sectionem mediam autem nihil nisi statum infirmum, vacillantem[104]).

Num autem pontis Varolii laesio hic quoque talem vim habuerit, necne, decernere nequimus, quia aegra lecto incubuit ideoque motus rotatorii non satis accurate observati sunt. Eodem modo haud possumus dijudicare, num symptoma supra memoratum fortasse per aliam vim, quam duo autores vernaculi *Krauss* et *Hertwig*[105]) ponti Varolii assignant, docentes, per sectionem illius partis transversam exstare proclivitatem ad lapsum praecipitem, effectum sit; sed hoc quoque parum verisimile nobis videtur. De-

---

102) *Magendie* (*leç. etc.* I. *p* 274) dicit: „Nous allons maintenant essayer de couper le pont en deux moitiés égales. Si nous inclinons trop à droite ou trop à gauche, vous aurez les phénomènes qui caractérisent la section du pédoncule correspondant“ et *p.* 277. *s fin.*: „la section du pont à gauche de la ligne médiane s'accompagne des mêmes phénomènes que si on agissait sur le pédoncule gauche du cervelet.“ Symptomata autem sectionem cruris cerebelli ad pontem sequentia saepius memorat e. g. *p.* 259 *s. fin.*: „La section d'un des pédoncules du cervelet détermina des effets constants. L'animal roule latéralement du côté où le pédoncule est coupé“ aut *p.* 265 *s. fin.*: „à peine le pédoncule sera coupé, que vous allez voir l'animal se rouler de gauche à droite, si c'est le pédoncule droit, de droite à gauche, si c'est le pédoncule gauche“ etc.

103) *Flourens* (*l. c. p.* 489 §. VI): „Jai coupé sur plusieurs lapins, le pont de Varole, tantôt d'un côté, tantôt de l'autre; et, dans tous ces cas, l'animal s'est mis à rouler sur lui-même selon l'axe de sa longueur. *La section du pont de Varole détermine donc la rotation de l'animal sur lui-même;*“ alio loco (p. 487. §. IV.) eodem modo dicit: „si l'on coupe le pont de Varole, c'est-à-dire le faisceau de fibres transverses, l'animal roule sur lui-même selon l'axe de sa longueur“ etc.

104) *Magendie* (*leç. etc. p.* 277): „Dans les expériences où j'ai séparé le pont en deux parties (sc. égales), j'ai vu les animaux rester debout, balancés entre deux forces, qui agissaient en sens opposé, et se neutralisaient réciproquement.“

105) *Romberg* (*l. c. p.* 514) refert: „Nach Queerschnitten durch die Varolsbrücke findet eine Neigung nach vorne überzufallen statt (*Krauss* u. *Hertwig*)“ et infra, *p.* 547, hanc opinionem confirmans addit: „Auf dem hiesigen anatomischen Museum wird das Gehirn einer Frau aufbewahrt (*No* 5763), welche an Krämpfen litt, und in denselben stets nach vorne überfiel. Mitten in der Varolsbrücke hat eine steatomatöse Geschwulst ihren Sitz.“

nique impetus ille protinus tendens fortasse per *pedunculos cerebri* hic maxime pressos atque ex parte plane dilapsos effectus est, quorum sectio, *Flourens*[106]) teste, eandem in animalia vim exercet. — Quum autem de hoc symptomate nihil certioris neque omnino praeter ea, quae memoravimus, quidquam habeamus proferendum, nunc transeamus ad alia.

Bulbus dexter ex orbita paulo prolapsus est, quod ex innervatione omnium ejus musculorum sublata facillime explicatur; jam antea enim nervi abducens et trochlearis in medio tumore pressi vim suam amiserant i. e. musculi rectus externus et obliquus superior paralysi affecti erant; nunc n. oculomotorius quoque, a tumore crescente paulatim magis sursum latus atque tensus, et una cum eo quatuor alii bulbi musculi ab illo nervis ornati, efficientiam perdiderunt; quam quum musc. rectus internus, omnium longe crassissimus atque efficacissimus, diutius servaret, strabismus convergens nunc quoque apparuit.

Dexter oris angulus initio paulo, postea omnino demissus fuit, quia nervus facialis dexter, ut jam supra vidimus, nimis tensus (fuit enim 0,0045^{m} longior, quam sinister) potestate sua sensim privatus est, ideoque et musc. levator anguli oris et m. orbicularis oris aliqua ex parte haud amplius usitato modo agere potuerunt.

Per hoc, quod modo memoravimus, symptoma adducimur ad aliud ei proximum, ad *paralysin utriusque unius lateris extremitatis tunc intrantem, postea perfectam*, de qua nunc nonnulla verba faciamus, primum de cerebri loco, qui ex autorum sententia hanc paralysin effecit, deinde de modo, quo illud symptoma hic intravit, pauca prolaturi.

Quamquam in omnibus fere centri nervei statibus morbosis nullum symptoma tam saepe obvenit simulque tam facile observatur, quam actio musculorum extremitates moventium alienata, modo nimis aucta, spasmi convulsionesque, modo nimis deminuta aut omnino ablata, imbecillitas et paralysis: tamen, per quamnam cerebri partem hae affectiones provocentur, autores summo studio hoc indagare studentes nondum manifestum reddere potuerunt, sed adhuc de hac controversia inter eos lis adest gravissima. Ut ad singulorum sententias memorandas meliorem assequamur ordinem, hoc loco prae ceteris nonnulla verba huc spectantia afferre nobis liceat, quae nuperrime in literis Gallofrancicis[107]) sub articulo „*Paralysie générale*“ scripta invenimus: „Il résulte des

106) *Flourens* (*l. c. p.* 487. *s. fin. et* 488) dicit: „si l'on coupe les pédoncules cérébraux, l'animal se précipite en avant avec force.“

107) *Cf. Archives générales de médec. Avril* 1844. *p* 515.

observations de MM. *Fabre* et *Pinel*, que la paralysie générale se traduit par quatre formes d'altérations principales dans le cerveau: 1) par l'inflammation subaiguë de la substance corticale des corps striés; 2) par l'inflammation chronique des mèmes parties; 3) par l'hypertrophie active du cerveau et surtout de la substance blanche présentant les singuliers phénomènes d'une phlegmasie tantòt aiguë, tantòt chronique, altération encore peu connue, et qui, dans ces cas, rentrerait dans les inflammations blanches de *Narandel*: 4) par l'atrophie aiguë ou chronique de quelques circonvolutions ou de toutes les circonvolutions du cerveau, et dans certains cas, par une espèce de fonte générale de tout un lobe ou des deux lobes cérébraux." — Nunc, quid ceteri autores de singulis ab illis compertis censeant, paucis consideremus.

Ad 1. *et* 2.: Corpora striata summam vim in motus voluntarios habere, et *Magendie*, ut supra diximus, per experimenta demonstravit et *Burdach* [108]) memorat; fortasse quoque id quod *Andral* de universo mesocephalo dicit [109]), „per ejus apoplexiam quatuor extremitatum paralysin oriri," praecipue huc referendum est. Alii autores, praecipue *Serres* [110]), *Foville* [111]), *Lacrampe-Loustaud* [112]) etc. hoc expositum esse, haud contenti, accuratius experimenta instituere studuerunt, quibus arctiorem nexum inter corpora striata et extremitates inferiores demonstrasse sibi videntur. Quibuscum alii autores quidem e. g. *Bright* [113]) consentiunt; alii autem e. g. *Lallemand* [114]), *Burdach* [115]) etc. illorum sententiam rejicientes, permultos casus, in quibus aut, corporibus striatis laesis, inferiorum

---

108) *l. c.* §. 968.: „Ein Blick auf die pathologischen Beobachtungen lehrt uns, dass die Streifenhügel in der nächsten Beziehung zur willkührlichen Bewegung stehen."

109) *Andral* (*cours etc.* IIIe *livr. p.* 82.) dicit: „L'hémorrhagie est-elle dans le mésocéphale? On peut admettre comme fait le plus général, que les quatre membres sont paralysés."

110) *cf. Magendie (journ. de physiol. expérim. et pathol.* III. *p.* 126.).

111) *cf. Recherches sur le siége spécial de différentes fonctions du systéme nerveux. Par Foville et Pinel-Grandchamp. Paris* 1823. *p.* 7—13.

112) *cf. Mémoire de M. Lacrampe-Loustaud in Revue médicale, no de mars* 1824.

113) *cf. Magaz. d. ausländ. Literat. d. gesammt. Heilk.* XXIV. *Hamb.* 1832. *p.* 454.: „Unser Verfasser (i. e. *Bright*) bestätigt ferner die Entdeckungen von *Serres* u. *Foville*, dass nämlich *Verletzungen des corpus striatum* und des vordern Theils des Gehirns *Lähmung der unteren Gliedmassen* . . . hervorbringen."

114) cf. prae ceteris *l. c. epist.* VI. complur. loc., praecipue *p.* 454. *et* 445.

115) *Burdach* (*l. c.* §. 969.) primum dicit: „Den verschiedenen Antheil der Hirngebilde auf besondre Muskeln oder besondere Richtungen zu beziehen, ist aber wohl ein verfehltes Streben" et deinde, postquam de hac quorumdam opinione nonnulla verba fecit, addit: „Es scheint aber, als habe man hier aus einzelnen Beobachtungen voreilig und falsch geschlossen."

extremitatum motus plane liberi reperti sunt aut e contrario, illis prorsus integris, crura paralysi affecta fuerunt, referunt. Attamen revera nexum inter illas cerebri partes et motus in universum exstare, nemo fere est, qui neget.

Minus autem aliud ab illis memoratum comprobemus, „vim corporum striatorum auferri per inflammationem subacutam aut chronicam.“ *Lallemand* [116]) quidem, incredibile fere dictu, encephalitidem, ait, haud aliter agere ac pressionem; „elle détruit,“ ut ejus verbis utar, „les fonctions du cerveau, non seulement parceque l'inflammation désorganise tous les tissus, dont elle s'empare, mais encore parcequ'elle est accompagnée d'une turgescence, qui, dans une cavité osseuse, doit produire la compression des parties voisines.“ Ille autem magnopere errasse mihi videtur; prior enim, quam affert, causa minime de universa inflammatione, quae ipsa substantiam cerebralem nullo modo destruit, sed solum de ultimo ejus stadio, de morbis eam consequentibus e. g. exsudatione plastica aut serosa etc. valet; altera autem haud minus facile rejicitur. Experientia enim quotidie nos docet, sanguinem per inflammationem in cerebro auctum haud deprimere sed excitare ejus actiones; sic persaepe in aegris encephalitide correptis, qui inter deliria furibunda aut convulsiones vehementissimas obierunt, substantiam cerebralem sanguine turgescentem invenimus. Potius, quod ille dicit, ad congestiones diuturnas est referendum, in quibus vasa per sanguinem paulatim adeo dilatantur, ut partes cerebri circumjacentes comprimant; in quaque autem inflammatione sanguis per compositionem suam chemicam commutatam multo magis ad exsudationes propensus est, quae quoque, cura apta neglecta, semper prius sequuntur, quam tanta vasorum dilatatio effici potuerit. Denique, ut ad propositum nostrum redeamus, membra per encephalitidem convulsionibus, per pressionem autem, quocunque modo effecta est, paralysi affici, inter omnes satis constat. — Postremo illi credere videntur, vim motoriam corporibus striatis propriam sitam esse in substantia eorum corticali. Quamquam autem haud raro, substantia sola corticali laesa, paralysis observata esse dicitur [117]), tamen hoc tantum de hemisphaeriis

---

116) *l. c. epist.* VI. *p.* 422. *init.*

117) *Andral* e. g. (*cours etc.* IIIe *livr. p.* 81. *s. fin.*) complura talia exempla a *Fabre* et *Lallemand* narrata affert et tum (*p.* 82. init.) addit: „nous avons observé nous-même quelques cas analogues et tous ces faits se présentent comme une objection puissante à l'opinion qui place le siége des mouvements dans la substance blanche centrale.“ — cf. quoque *Calmeil* (*De la paralysie considérée chez les aliénés. Paris*, 1826.), *Bottex* (*Du siége et de la nature des maladies mentales Paris*, 1833.) et *Parchappe* (*Recherches sur l'encéphale, 2e Mém. Paris*, 1838.), qui e. g. dicit: „il n'est qu'une altération constante dans la paralysie générale, c'est le ramollissement de la couche corticale etc.“

valere videtur; *Magendie* [118]) enim substantiam corticalem in corporibus striatis nullam in motus exercendos vim habere, per experimenta manifestum reddidit.

Sed transeamus *ad* 3.: De hac sententia nihil fere reprehendendum est; hypertrophiam enim cerebri universalem paulatim omnes ejus partes comprimere earumque actiones prohibere posse, jam supra diximus, nec quisquam neget; talis autem hypertrophia sine dubio numquam, ut illi dicunt, phlegmasiae acutae aut chronicae sed semper sola pressionis symptomata praebebit. Denique

ad 4. nonnulla adnotemus: Eo, quod autores non de toto cerebro sed solum de „*circonvolutions du cerveau*" verba faciunt, opinionem jam antea memoratam, „praecipue substantiam corticalem vi motoria praeditam esse," repetere videntur. Quum de hoc jam supra nonnulla dixerimus, hoc loco tantum addamus, compluribus autoribus fide dignis referentibus, persaepe substantiam corticalem tenuissimam, revera atropham repertam esse in hominibus insanis, quorum motus usque ad mortem plane liberi vigentesque remansissent; id quod sine dubio valde exiguum nexum inter substantiam corticalem et motus voluntarios testaretur, quem praeterea disquisitiones quoque a *Foville* et *Pinel-Grandchamp* [119]) institutae ostendere debent.

Sed, illa remissa, convertamus nos ad aliam quaestionem gravissimam, jam dudum ab autoribus omni studio perpensam sed adhuc valde dubiam atque infirmam; quaeritur enim, num vis motoria revera in hemisphaeriis sita sit. Quamquam enim jam *Lorry* [120]) per experimenta certior factus neque per cerebri i. e. hemisphaeriorum neque per corporis callosi irritationem spasmos effici, affirmavit atque (*l. c. p.* 373.) addidit: „J'ose me flatter qu'il est décidé par ces expériences, que *c'est la moelle allongée qui est le seul organe actif du cerveau*, que *c'est dans la moelle allongée qu'on peut trouver la source du mouvement* et du sentiment," tamen omnes fere autores inde ab *Haller* et *Zinn* usque ad nostrum tempus, motus voluntarios nihilominus ab hemisphaeriis pendere, persuasum habuerunt, quia, id quod sane negari nequit, persaepe per apoplexiam, emollitionem aut per alium prorsus circumscriptum morbum in substantia unius alteriusve hemisphaerii

---

118) *Journal etc.* III. *p.* 379., quo loco *Magendie*, per solam substantiam griseam corporum striatorum ablatam, fibris medullaribus nullo modo laesis, cuniculorum motus non turbatos esse, refert.

119) Illi autores, indagationibus accuratioribus nisi, solam substantiam albam in motus voluntarios vim habere, laesiones autem substantiae griseae numquam paralysin efficere posse, affirmant (*Recherch. sur le siége spéc. etc. Mars.* 1823. *p.* 3.).

120) *cf. Mém. de l'Académie des sciences. Mém. des savants étrangers, t.* III. *p.* 370. 1760.

cerebrali situm modo convulsiones modo hemiplegiam provocari perspexerunt. Haec autem symptomata, id quod jam *Hippocrates* saepius invenit, plerumque in latere cerebri morbo opposito exoriri, antiquiores quidem autores e. g. *Dulaurens* [121]), *Boerhaave* [122]), *Metzger* [123]) etc. vario plerumque valde inepto modo explicare studuerunt; recentiores autem omnes sententiam a *Petit* et *Mistichelli* primis pronunciatam secuti, illud phaenomenon per decussationem, quam fibrae cerebrales in medullae oblongatae pyramidibus subeunt, provocari, recte censent. Praeter hanc decussationem transversalem *Saucerotte* [124]) primus aliam quoque longitudinalem exstare dixit, qua fieret, ut lobi cerebrales posteriores tantum superiorum, lobi anteriores autem inferiorum extremitatum motus efficerent. Quam opinionem illi, quos jam supra de corporibus striatis locuti nominavimus, autores receperunt; *Burdach* autem loco supra citato de hac quoque re aeque ac *Longet* [125]) iis contradicit nec non *Lallemand* [126]) in epistolis suis permultos casus ab illorum sententia abhorrentes enarrans, eos omnino errasse, demonstrat.

Alia autem haud exigua autorum recentiorum pars e. g. *Abercrombie* [127]), *Lon-*

---

121) *Dulaurens* (*historia humani corporis illustrata ab Andrea Laurentio. Paris* 1600. *lib.* X., *cap.* X. *p.* 540.) dicit, aut pus ex aegro cerebri latere in sanum defluere, quippe in quo aegrotus plerumque jaceret, aut spiritum vitalem per haemorrhagiam, inflammationem aut suppurationem e sano hemisphaerio ad aegrum attrahi ideoque illud una cum membris ejusdem lateris paralysi affici.

122) *Boerhaave*, commotionem ab hemisphaerio primum laeso ad alterum transire et hanc ob causam latus corporis oppositum affici, credidit.

123) *Metzger* putavit, in omnibus hujusmodi casibus in hemisphaerio non laeso alium statum pathologicum per cadaveris dissectionem non indagatum revera adfuisse.

124) *cf. Prix de l'Acad. de chirurg. t.* IV. *p.* 310. *Paris* 1819.: „On vient de voir, qu'outre le croisement des fibres medullaires d'un côté de la tête à l'autre . . . *il y en a encore un de la partie antérieure à la postérieure*, *et vice versa*, pour le mouvement des extrémités, *de façon que l'origine des nerfs destinés au mouvement des extrémités supérieures*, *est dans la partie postérieure du cerveau, et réciproquement dans l'antérieure pour les extrémités inférieures.*"

125) *l. c. p.* 658.: „nous avons cru devoir rejeter l'opinion de *Saucerotte* qui fait siéger le principe du mouvement des membres thoraciques dans les lobules postérieurs du cerveau, et celui du mouvement des membres pelviens dans les lobules antérieurs etc."

126) cf. e. g. *l. c. epist.* VI,, *p.* 414. §. IV. et praecipue *epist.* VIII., *p.* 319., ubi *Lallemand* dicit: „Il est impossible, d'après des faits aussi nombreux, aussi constans et aussi variés, d'admettre que les fonctions des membres thoraciques et abdominaux soient sous la dépendance exclusive de certaines portions distinctes du cerveau, quel que soit le siége qu'on prétende assigner à ces prétendus organes spéciaux."

127) *Abercrombie* (*l. c. edit. a. von d. Busch. p.* 451.) dicit: „Man darf es vielleicht für eine noch nicht gehörig ausgemittelte Sache halten, ob eine Hirnkrankheit ohne irgend eine Affection des

get[128]), *Jobert*[129]), *Flourens*[130]) etc. una cum *Lorry* (cf. quod supra de ejus opinione diximus) negantes, lobos cerebri vi motoria praeditos esse, hanc vim soli medullae spinali aut oblongatae et partibus cerebri ei proximis, ponti Varolii, pedunculo cerebri, corporibus quadrigeminis etc. assignant. Et revera ex omnium autorum consensu quaeque illarum partium irritatio statim convulsiones, sectio autem aliave earum destructio paralysin efficit; e contrario, id quod innumera experimenta probant, motus per nullum irritamentum in hemisphaeria agens gignuntur neque auferuntur per eorum sectionem aut detractionem perfectam. Quomodo autem omnes singulae systematis nervei partes in motus efficiendos agant, optime *Flourens* explicasse nobis videtur, dicens (*l. c. préface p.* XIII.): „D'un autre côté, chaque partie déterminée du système nerveux joue un rôle déterminée dans les mouvements de locomotion. Le *nerf excite directement la contraction musculaire; la moelle épinière lie les diverses contractions partielles en mouvements d'ensemble; le cervelet coordonne ces mouvements d'ensemble en mouvements réglés de locomotion*, marche, course, vol, station etc.; *par les lobes cérébraux l'animal perçoit et veut.*"

Quum igitur, hemisphaeria ipsa motus nec provocare neque auferre posse, perspexerimus, id quod tam saepe observamus, per circumscriptum loborum cerebralium morbum tamen motus alienari, per medullae aliusve partis motoriae affectionem consensualem explicemus necesse est, quae quoque, prae ceteris *Abercombie*[131]) teste, persaepe revera

---

Rückenmarks eine Paraplegie hervorbringen kann. Wenn dieses wirklich der Fall sein sollte, so geschieht es wahrscheinlich in denen Fällen, in welchen die Krankheit ihren Sitz in der Gegend der Pons Varolii oder der medulla oblongata hat etc."

128) *l. c. p.* 656.: „la volonté donne l'impulsion déterminante; mais la contraction des muscles, qui est nécessaire pour produire le mouvement, s'exécute à l'insu d'elle et doit son origine à un tout autre principe, qui émane spécialement de la moelle allongée."

129) *Jobert* (*l. c. p.* 439.) quum medullae spinali tum ponti Varolii inter alia quoque vim motoriam adscribit; dicit enim: „Si le pont de Varole est un organe de sensibilité et *de mouvement*, il est aussi conducteur des impressions de la volonté . . . cette triple faculté . . . fait de la protubérance annulaire l'organe le plus important des renflemens nerveux, *le noeud gordien de la vie* etc."

130) *Flourens l. c. préf. p.* XIII. solam medullam spinalem, infra autem, p. 22., dicens „la moelle allongée comme la moelle épinière et comme les tubercules bijumeaux, excite des contractions," tres has partes aequam vim in motus provocandos habere, memorat. Quam opinionem *Romberg* quoque (*l. c. p.* 540.) recepisse videtur.

131) *cf. l. c. p.* 451. *s. fin*: „Aus den Beobachtungen, die ich bei Abhandlung der Pathologie des Rückenmarks mittheilen werde, geht hervor, dass ein krankhafter Zustand gar häufig zugleich im Gehirn und im Rückenmarke vorhanden ist etc."

reperta est. — Sed jam nimis longe de sententia a *Fabre* et *Pinel* proposita aut potius de loco, quem vis motoria in cerebro teneat, disseruimus; videamus nunc, num ad nostram hemiplegiam praeterea aliquid memoratu dignum sit adnotandum.

Primum, paralysin extremitatum ejusdem lateris exortam esse, haud est, quod miremur; partim enim hemiplegia est symptoma in omni cerebri compressione frequentissimum, quum, *Burdachio* [132]) teste, musculi maxime voluntati obnoxii praecipue extremitatum primi semper afficiantur; partim autem complures cerebri partes, ut modo vidimus, vi motoria ornatae compressae erant, quarum una ad hemiplegiam efficiendam jam suffecisset. Sed aliud quiddam est, quod maxime mirari debeamus et quod nullo modo explicare possimus; quamquam enim sinistrum corporis latus hemiplegia affectum fuerat, non in opposito cerebri latere, uti assolet, maximae destructiones repertae sunt; non enim dextra sed sinistra pontis Varolii pars maxime depressa atque excavata erat et eodem modo pedunculus cerebri sinister multo magis compressus fuerat multoque majore ex parte omnino evanuerat, quam dexter. Hoc fortasse eo explicandum sit, quod, ut supra vidimus, tumor primam originem in dextro latere ceperat ideoque illic substantiam cerebralem adjacentem multo diutius compresserat, quam in sinistro postea demum affecto. Attamen, quamquam, conversiones et laesiones substantiae cerebralis interdum cum valde levibus symptomatibus conjunctas esse, optime scimus [133]), destructiones in sinistra parte, licet sine dubio recentiores, tantae tantoque graviores, quam in dextra fuerunt, ut, per illas hemiplegiam effectam esse, credere mallem; tum quidem, id quod rarissime tantum obvenit [134]), hic causa atque effectus idem tenuissent latus. Sed nihil certioris de hac re habemus proferendum.

Hemiplegiam autem omniaque symptomata graviora tam sero, ubi tumor jam

---

132) *cf. l. c.* §. 600., ubi auctor dicit: „Nun sehen wir aber, dass bei Abnormitäten des Gehirns am häufigsten die Glieder gelähmt werden" et §. 350., ubi dicit: „Die Lähmung trifft am häufigsten die Gliedmaassen und zwar vorzüglich beide Gliedmaassen der einen Seite."

133) *Lallemand* e. g. de hac re dicit (*l. c. epist.* VII. *p.* 118.): „Toutes les parties du système nerveux sont également susceptibles de s'alonger beaucoup et de changer de forme, sans perdre leurs fonctions" alioque loco (*l. c. epist.* V. *p.* 386.) de abscessibus disserens simili modo addit: „Si nous avons trouvé des abcès enkystés à la suite d'inflammations éminemment aiguës, nous en avons rencontré aussi après des symptômes peu intenses, qui s'étaient développés très-lentement, et même dans des cas où leur formation n'avait été accompagnée que de quelques maux de tête."

134) *Burdach* (*l. c.* §. 800.) ducentos sexaginta octo casus enumerat, in quibus morbus aliquis unum cerebri latus tenuit et, in quindecim tantum ejusdem lateris paralysin adfuisse, asseverat.

valde magnitudine auctus fuit, demum exorta esse, nobis haud mirum videatur, quum, omnes morbos cerebri organicos decursum lentissimum facientes, priusquam symptomata morbosa efficiant, certis finibus egressos esse debere, satis constet [135]. Membra paralysi affecta in casu nostro sentiendi vim integram servarant — quod idem e complurium autorum judicio [136] plerumque hoc modo obvenire solet.

Quum praeter ea, quae modo memoravimus, de hac hemiplegia nihil notandum sit, nos convertamus ad aliud symptoma perpendendum.

Lotium faecesque invitâ aegrâ emissa sunt, in hoc casu autem, ut videtur, non per musculorum sphincterum paralysin, quamquam et ea per consensualem medullae affectionem, de qua supra diximus, adesse potuisset, sed quia aegra, voluntate menteque omnino amissa, id quod item jam supra memoravimus, urinam defluere neque animadvertit neque eam retinere voluit.

Oculus dexter lucem non amplius percepit, quod per symptoma valde constans, pupillam dilatatam atque immobilem, manifestum redditum est. In tanta cerebri destructione videndi quoque facultatem deminutam et postea amissam esse, eo minus mi-

---

135) *Flourens* e. g. (*l. c. p.* 297. *s. fin.*) affert: „ainsi le cerveau est susceptible de céder ou de s'affaisser jusqu'à une certaine limite, avant d'être altéré au point que ses fonctions soient troublées; limite qui peut être portée d'autant plus loin que la force qui produit l'affaissement agit d'une manière plus lente etc.“ et infra (*p.* 299.) de exsudationibus, id quod de omnibus causis sensim agentibus valet, dicit: „mais de ce que tout épanchement n'agit que passé une certaine limite, il s'ensuit qu'il faut un certain temps pour qu'il agisse . . . et c'est là pourquoi les symptômes des épanchements sont toujours plus ou moins éloignés ou consécutifs etc.“

136) *Lallemand* (*l. c. epist.* III. *p.* 435.) hac de re dicit: „vous avez vu *que les malades conservaient la sensibilité long-temps après qu'ils avaient perdu la faculté de mouvoir le membre*“ et alio loco (*epist.* VIII. *p.* 320.): „toutes les fois que la paralysie n'a pas été complète, *la sensibilité a moins perdu que le mouvement;* il est même arrivé quelquefois que *la peau avait conservé ses fonctions*, quoique *les muscles eussent complétement perdu les leurs;*“ nonnullos autem casus, in quibus, tactu amisso, facultas membra movendi servata fuit, eo explicare studet, quod tum affectio nervosa, haud cerebralis adfuerit; sic (*epist.* VIII. *p.* 321.) dicit: „je sais bien qu'on cite des cas dans lesquels la sensibilité était perdue, tandis que le mouvement était conservé . . . mais dans tous ceux qu'il m'a été possible de bien apprécier, *la perte de la sensibilité était due à une affection nerveuse, et non à une altération du cerveau.*“ — Eodem modo *Mehlis* (*comment. de morbis hominis dextri et sinistri. Götting.* 1818. *p.* 13. *et* 14.) de hemiplegia refert: „est interdum perfecta, qua et movendi et sentiendi facultas omnis periit, plerumque vero imperfecta, et talis quidem *saepissime*, *ut solus motus penitus sublatus, sensus non omnis exstinctus sed imminutus tantum observetur; frequenter etiam artubus omni motu privatis integra sentiendi facultas adest*, rarissime vero contra hemiplegia occurrit, qua sensus magis quam motus, uterque tamen laesus fuerit.“

rum habemus, quia ex omnibus organis sensuum nullum arctiore, quam hoc, cum cerebro nexu conjunctum videtur [137]), qui hic tantus est, ut ex oculi statu quosdam cerebri morbos optime dignoscere possumus. Aegrota nostra sine dubio jam diu res ante oculos positas cognoscere nequiverat, quamquam retina adhuc iis irritabatur; facultas enim res in retinam agentes cognoscendi, *Flourens teste*, in cerebri lobis sita est [138]) et una cum aliis facultatibus ibi sitis, quarum nonnullas e. g. voluntatem, memoriam supra nominavimus, amittitur [139]). Tum autem retina simulque iris paralysi affecta est i. e. facultatem lucis percipiendae perdidit, quae, e peritissimi illius autoris sententia in eminentia quadrigemina aut potius in anterioribus ejus tuberculis arctissime cum apparatu optico conjunctis [140]) jacet [141]). Prorsus similem opinionem de hac re *Jobert* profert, sed praeter corpora quadrigemina alias quoque cerebri partes cum nervis opticis cohaerentes nominat [142]). Eodem modo *Burdach*, corpora quadrigemina neque propriam neque solam visus sedem esse, dicit [143]), et multo majorem vim in videndi facultatem assignat tha-

---

137) *Burdach* (*l. c.* §. 334) initio referens: „unter den Sinnesorganen steht das Auge in der innigsten Beziehung zum Gehirn" postea hoc per exempla clarius reddere studet et e. g. de pressione cerebri dicit: „mit dem Eintritt des lähmungsartigen Zustandes wird der Blick stumpf . . ., die Empfindlichkeit gegen das Licht nimmt ab, das Sehen wird undeutlich und am Ende entsteht völlige Blindheit."

138) *l. c. p.* 36. *Flourens* de visu disserens, dicit: „or, le principe de cette perception réside bien dans les lobes cérébraux . . . . le retranchement des lobes cérébraux doit donc abolir la vision etc.". Eodem modo *Burdach* (*l. c.* §. 1024) dicit: „in den Hemisphären des grossen Hirns tritt das Gesammterzeugniss der verschiedenen psychischen Momente hervor: die mannichfaltigen Empfindungen . . . treten zur Einheit des Bewusstseins zusammen."

139) *l. c. p.* 99. 3: „Enfin, dès qu'une perception est perdue, toutes le sont, dès qu'une faculté disparaît, toutes disparaissent" et infra (*p.* 105 *s. fin.*): „on a vu plus haut combien d'un seul sens perdu par le fait des lobes cérébraux, on peut conclure infailliblement la perte de tous les autres sens et de toutes les facultés intellectuelles."

140) *Magendie* e. g. (*leç. etc.* I. *p.* 242) dicit: „les tubercules quadrijumeaux antérieurs se continuent avec la couche optique . . . ils fournissent une des racines d'origine du nerf optique" et postea (*l. c. p.* 243.) repetit: „ainsi des quatre tubercules quadrijumeaux les deux antérieurs sont liés avec les nerfs et les couches optiques."

141) *Flourens* (*l. c. p.* 100. V.): „on a déjà vu, que le principe primordial de l'action de la rétine et du jeu de l'iris dérive des tubercules bijumeaux."

142) *l. c.* II. 444 *s. fin. Jobert* dicit: „il faut donc regarder les tubercules quadrijumeaux comme destinés, ainsi que toutes les parties nerveuses auxquelles les nerfs viennent se rendre, à recevoir l'impresssion de la lumière, impression, qui, comme toutes les autres, doit être transmise au cerveau, élaborée par lui, et transformée en sensation."

143) *Burdach* (*l. c.* §. 916): „Bei Säugethieren und beim Menschen ist es noch entschiedner,

lamis nervor. optic., de quibus postea (*l. c. §. 954. usque ad §. 963*) copiosa verba facit. *Serres* etiam, visum nonnisi per morbos thalamorum auferri, putat, quam opinionem refutat *Andral*[144]), praeterea quoque nonnullos casus referens, in quibus per varias thalamorum destructiones visus neque ablatus neque deminutus fuit[145]); alios hujusmodi casus *Lallemand*[146]) quoque enarrat. Aliam opinionem, quam profert *Liese*[147]), „caecitatem maxime in desorganisationibus ventriculorum lateralium adfuisse," quippe quae omnibus argumentis carere nobis videatur, hoc loco negligamus. — Nervum opticum adhuc quum ad texturam, tum ad circuitum prorsus sanum fuisse, mirari non possumus, quia caecitas per brevissimum tantum tempus exstitit; illum autem nervum oculi dextri, nisi mors tam cito intrasset, postea atrophia affectum iri, permulta exempla verisimillimum faciunt. — In nostro casu majores destructiones organorum in visum agentium in dextra parte positas fuisse, dubitari nequit; partim enim corporum quadrigeminorum anterius dextrum multo diutius magisque pressum erat quam sinistrum; partim thalamorum nervor. optic. dexter magnopere pressus et altitudine imminutus, sinister autem omnino sanus fuit; paralysis igitur, qua oculus dexter laboravit, idem latus tenuit, quod morbus eam efficiens; id quod, quum in dextra parte hic obvenerit, opinionem a *Burdach* hac de re prolatam[148]) confirmare videtur.

Nunc unum tantum symptoma perpaucis verbis considerandum nobis superest: *paralysis musculorum et deglutitioni et respirationi obnoxiorum*, quae aut per corporis striati[149]), aut, id quod nobis multo verisimilius videtur, per nervi pneumogastrici

---

dass die Vierhügel weder das eigentliche und alleinige Sensationsorgan des Gesichts sind, noch auch ihre Thätigkeit einzig auf das Sehen bezogen ist."

144) *cf. clinique médic. V. p.* 375: „nous n'admettons donc pas avec *M. Serres* que la vue ne se perd, que lorsque l'hémorrhagie a son siége dans les couches optiques, au niveau de la commissure."

145) cf. e. g. *clin. méd.* V. *p.* 337. XIe *observ.*, ubi apoplexia, et *p.* 410. VIIe *observ.*, ubi emollitio unius thalami, visu non turbato, adfuit.

146) cf. inter alios: *l. c. epist.* I. *p.* 3. *No.* 1. aut *ejusd. epist. p.* 47. *No.* 13.

147) *Liese* (*dissert. de vi, quam morbi cerebri in functiones sensuum exercent. Berol.* 1836. *p.* 20.) de partibus caecitatem moventibus verba faciens dicit: „maxime adest caecitas in *desorganisationibus ventriculorum lateralium*, tum lobuli superioris et pallii, deinde thalamorum opticorum, lobuli anterioris corporum striatorum, cerebelli, lobuli posterioris; multo minus in aliis cerebri partibus."

148) *Burdach* (*l. c.* §. 821. 3.) dicit: „die rechte Hirnhälfte verursacht häufiger gleichseitige als ungleichseitige Lähmung, und verursacht gleichseitige Lähmung häufiger, als die linke."

149) *Bright* (*Magaz. etc. p.* 454 *init.*): „war das Schlingen sehr erschwert, so war häufig eine Verletzung des corpus striatum zugegen," testatur.

utroque illo munere fungentis compressionem est derivanda. Et hoc symptoma in nostro quoque casu, ut, *Andralio* referente[150]), plerumque invenitur, fuit ultimum, gravissimum, praesagiens mortem imminentem.

III. Referuntur casus morborum nostri similes.

Quae modo de explicandis symptomatibus in casu nostro observatis protulimus, quum sufficere censeamus, nunc, ut videamus, num tumores easdem cerebri partes comprimentes eodem semper modo in organismum egerint, num igitur certa illorum sedis diagnosis inter vitam institui possit, historias morborum quoad sedem atque indolem nostri similiorum ab autoribus narratas brevibus verbis hoc loco referamus. Quum autem tumores eundem, quem noster in cerebro tenuit, locum occupantes plerumque complures neque semper easdem partes afficiant, non solum, id quod plerumque sufficit, symptomata morbi nobis enumeranda sunt, sed, commutationes quoque pathologicas per cadaverum sectiones repertas in hoc casu accuratius describamus, necesse est.

Relatio I[151]): Vir triginta sex annorum, habitus robusti, per duodecim menses doloribus ab occipite ad frontem tendentibus, strabismo interno et diplopia oculi sinistri, magna utriusque extremitatis dextrae imbecillitate nec non ore balbo pauloque distorto laboravit; quae symptomata, pulsu adhuc sano (68 ict. exhib.), paulatim aucta, deinde convulsiones universales exortae sunt; facultas sentiendi sensim amittitur, strabismus bulbi sinistri desinit, pupilla utriusque oculi lucem non amplius percipit, et pulsu debili, frequente, undulante, respiratione difficili facta, aeger moritur.

In capite post mortem aperto inventa sunt: cerebrum eximie firmum, uncia aquae dimidia in ventriculis effusa et tumor scrophulosus suppuratione imperfecta affectus, magnitudinem nucis avellanae adaequans, a sinistra posteriore pontis Varolii parte usque ad corpus pyramidale ejusdem lateris porrectus, nervum abducentem sinistrum comprimens

---

150) *cf. clin. méd. etc.* V. *p.* 362, ubi *Andral* altero loco dicit: „la paralysie des muscles qui servent à la respiration ne s'observe que dans les cas les plus graves etc.“ altero: „la paralysie de la couche musculaire du pharynx et de l'oesophage ne s'observe que dans les cas les plus graves, et c'est ordinairement un signe mortel.“

151) *cf. Yelloly in: Medico-chirurg. transact. vol.* I. *p.* 181. *London* 1812. Eundem hunc casum citatum quoque invenimus ab *Abercrombie* (*l. c. p.* 448. 33 *Fall.*).

et conjunctus cum arteria basilari, cujus parietes dimid. pollic. ab arteriis vertebralibus aliqua ex parte corroserat.

Relatio II [152]): Vir triginta quinque annorum, temperamenti sanguinei, postquam mane per aquam frigidam vadavit, primum vagis capitis doloribus ad cervicem et utrumque humerum tendentibus, deinde vertigine et syncope corripitur; vasa tunicae conjunctivae utriusque oculi sanguine replentur, iris bene se contrahit, solutio alvi uti antea tarda; post quatuor menses hemiplegia sinistra; decem menses post initium morbi palpebrae per paralysin musculi levatoris semiclausae sunt; oculus sinister visu debilis strabismo externo laborat et per lucem dolore afficitur; dextri bulbi retina diem omnino non percipit; somnia terrentia somnum turbant, conscientia saepe vicies inter diem per quatuor aut quinque minuta aufertur, memoria valde debilitata, auditus omnino servatus est; aeger eximie irritabilis de magna musculorum imbecillitate conqueritur; post quatuordecim menses extremitates inferiores paralysi affectae frigidiores fiunt sensumque fere prorsus amittunt; pulsus debilior, mollis, vix explorari potest; digestio optima, exoneratio autem alvi difficilis propter musculorum expellentium resolutionem; eandem ob causam dysuria; respiratio adhuc libera postea per paroxysmos asthmaticos saepius interrumpitur; denique extremitates superiores quoque paralysi occupantur proximo die ante obitum, qui post undeviginti menses morbi exordium sequitur.

Dissectio cadaveris anatomica vasa durae matris haud arcte calvariae adhaerentis sanguine tumida, magnam fluidi serosi copiam inter arachnoideam et piam matrem effusam, nervum opticum sanum, substantiam cerebri vasibus repletam mollemque, pontem Varolii autem aliqua ex parte in massam carnosam transmutatam ostendit. Quae destructa ejus pars, formam duorum triangulorum, quorum alterum versus crus cerebri dextrum, alterum versus medullam oblongatam spectat, effingens pondus drachmarum duarum, texturam autem firmam satisque fibrosam exhibet.

Relatio III [153]): Femina quadraginta quinque annos nata, antea saepius insultus catarrhales arthriticos atque hystericos perpessa, subito sine certa aliqua causa vehementissimo dolore totum caput praesertim partem frontalem quasi terebrante et vertigine afficitur; saepe obscuratio visus susurrusque aurium oritur, digestio valde turbata est; etenim aegra non solum de edendi appetitu omnino deficiente simulque de vomituritio-

---

152) *cf. Thomas Salter* in: *the Edinburgh medical and surgical journal etc. vol. XI. Edinb.* 1815. *p.* 470. *Abercrombie* hunc casum retulit *l. c. p.* 450. 36 *Fall.*

153) *cf. Thomann, Annal. d. klin. Anstalt zu Würzb. f. d. J.* 1800. *Würzb.* 1803. *p.* 397—404.

nibus continuis et frequente vomitu pituitoso, sed etiam de abdomine flatibus saepe tumescente valdeque dolente nec non de obstructione alvi haud exigua conqueritur; somnus per somnia horrenda inquietus; extremitates inferiores torpidae, frigidiores, excretio menstrualis regularis, pulsus rarus, debilis, corpus macie eximia correptum; vultus aegrae continuo lateri sinistro incumbentis tristis, languidus, pupillae oculorum paulo distortorum valde dilatatae, denique mens stupidior. Quibus symptomatibus per remedia excitantia magnopere auctis, caecitas oculi sinistri et paralysis extremitatum superiorum et inferiorum paulatim accesserunt; denique, postquam dexter quoque oculus amaurosi affectus et auditus prorsus amissus est, aegra, quae erecta semper praeceps cadebat, summo stupore oppressa summaque macie consumta quatuor fere annis post initium hujus morbi diem supremum obiit.

Cranium bene conformatum, cerebrum solito neque durius neque mollius, ventriculi laterales unciis duabus et dimidia fluidi aquosi repleti fuerunt; tumor steatomatosus $2\frac{1}{2}''$ longus, $1''$ latus, $1\frac{1}{2}''$ altus, inter dextrum cerebelli mediumque cerebri lobum situs, dextram et corporum quadrigeminorum et pontis Varolii partem compressit et sinistram versus demovit, ita ut dextrum crus cerebelli et nervus trigeminus ejusdem lateris longitudine aucta essent; tumor ipse per brevem crassamque radicem e laterali pontis parte proveniens profundeque in medullam oblongatam porrectus, variis massis hic fluidis illic firmioribus consistens, per membranam tenuem a substantia cerebrali circumjacente separatus fuit. Os sphenoideum quoque statum pathologicum exhibuit; processus clinoidei enim postici in lineam parum eminentem transmutati, fossa autem ephippii valde extenuata, multisque locis perforata fuerunt.

Relatio IV.[154]): Vir duodequinquaginta annorum, staturae magnae athleticae, ante tres annos saepe periodico supra oculum sinistrum dolore laboravit; qui primum per apoplexiam vehementem et postea per vomitum biliosum valde auctus, mox autem per remedia interna sublatus est. Eodem tempore interdum visus utriusque oculi per nonnulla minuta quasi per velamen obscuratus, post aliquot menses oculus sinister omnino caecus, dexter debilis simulque crus utrumque valde infirmum factum est; simul caput vehemens dolor pungens eximie cruciavit, aurem dextram paulatim surditas occupavit, qua sinistra jam antea affecta erat. Duobus annis post initium morbi nihil fere mutatum, vox adhuc servata, mens sana, somnus quietus, digestio optima, interdum autem incon-

---

154) *cf. Samml. z. Kenntn. d. Gehirn- u. Rückenm.-Krankh. v. Gottschalk. Herausgeg. v. Fr. Nasse. Stuttgart* 1840. *p.* 196. *Fall* I.

tinentia urinae et exoneratio alvi involuntaria; saepius aeger sonitum sibilantem, subito desinentem audire simulque fulmen videre sibi visus est. Paulatim omnia symptomata graviora fiebant, praecipue visus atque auditus vel debiliores, extremitates inferiores, vesica et intestinum rectum paralysi affecta, facultates ingenii obtusae. Tertio post prima symptomata anno praeterlapso, aeger statu soporoso laboravit, sublato gustu, amissa conscientia, pupillis, praecipue dextra valde dilatatis; attamen nunc quoque interdum magnum dolorem in capite et supra oculum dextrum signis manifestum reddidit; masticatio et deglutitio continuo haud impeditae sunt; simulatque autem cibus ori immissus est, lotium faecesque involuntarie dejiciuntur. Vita inter hunc statum, ad quem nonnulla ulcera ad pedem et sudores profusi accesserunt, paulatim evanuit.

In capite aperto glandulae Pacchioni eximie evolutae, dura mater sanguine tumida, exigua lamina ossea in falce sita, arachnoidea albida, opaca, corpus callosum magnopere sursum latum, substantia cerebralis autem omnino sana reperta est; omnes, praecipue anteriores ventriculorum partes per quatuor circiter fluidi pellucidi uncias dilatantur, pars cerebelli anterior sinistra in tumorem hic mollem illic durum, qui cum parte petrosa ossis temporum carie destructa arctissime conjunctus nervum trigeminum planum latumque redditum sursum tulerat et usque ad sellam turcicam sese extendit, commutata fuit.

Relatio V.[155]): Vir quadraginta trium annorum, temperamenti sanguinei, cujus auris sinistra ante septemdecim annos per commotionem ossis temporalis auditum fere prorsus amiserat, abhinc duodeviginti mensibus otorrhoea illius lateris foetida affectus est, quam post octo menses subito suppressam mox dolor sincipitis transversus et sensus gravitatis in regione occipitali, dein visus utriusque oculi debilis secuti sunt; postea ter quaterve per diem convulsiones praecipue in sinistro corporis latere oriuntur, memoria imminuitur, pulsus varie plenus et frequens plerumque nonaginta sex ictus exhibet; ad summum capitis dolorem mox nonnulli insultus vertiginis tam vehementis accedunt, ut aeger humi procumberet; post tres fere menses uterque oculus facultatem lucis percipiendae omnino amittit, auris sinistra plane surda, dextra interdum valde debilis est; postea per insultum apoplecticum crus et brachium dextrum valde infirmum redditur; persaepe convulsiones oriuntur; mens adhuc integra, vox difficilis, gustus prorsus ablatus; sic aeger, cujus extremitates utriusque lateris et superiores et inferiores paralysi absoluta affectae fuerunt, diem supremum obiit.

---

155) *Gottschalk* (*l. modo cit.*) *p.* 204—209. *Fall* II.

Sublato cranio nonnullae glandulae Pacchioni valde prominentes et ventriculi fluido effuso eximie amplificati reperiuntur; substantia cerebralis hyperaemica, corpus callosum paulo sursum latum, nervi optici valde tenues, duri, lutei; sub tentorio tumor firmus, fuscus situs est, castaneae magnitudinem exhibens, per pedunculum cum parte petrosa ossis temporum sinistri et cum parte cerebelli anteriore cohaerens, qui, structura fungosa per cellulosam ossium destructionem effecta ornatus, pontem Varolii et hemisphaerium cerebelli sinistrum ad latus, nervum trigeminum sursum pepulit et medullam oblongatam compressit.

Relatio VI. [156]): Puer antea optima valetudine gravisus, qui septem circiter annos natus ex altiore loco in caput deciderat, ex illo tempore per novem fere annos dolore capitis intermittente, praecipue prima nocte et post labores graviores magnopere aucto, vexatus subito sub mediam noctem vomitu affectus est, ceterum autem, praesertim inter diem, omnino sanus esse videbatur usque ad medium septimum decimum aetatis annum, ubi amaurosis perfecta utrumque ejus oculum subito occupavit. Pupillae valde dilatatae ne per clarissimam quidem lucem irritabantur, dolor obtusus interdum terebrans e medio capite ad occiput tendens, per motus colli augebatur. Quae symptomata ne per aptissimam quidem curam deminuta sunt, sed aeger, quamquam digestione optima fructus, paulatim multo debilior redditus ad latus sinistrum paralysi affectus est et mox, conscientia quoque per ultimos vitae dies omnino sublata, interiit.

E cranio ablato unciae quatuor fere aquae flavae effluxerunt; vasa durae meningis et cerebri substantiam eximie putrem exhibentis ultra modum sanguine tumuerunt; super sella turcia, sub qua glandula pinealis plane evanuerat, tumor jacuit pyriformis, cruribus anterioribus nervos opticos comprimens, qui, membrana fibrosa obductus, structuram ad circuitum prorsus induratam, in medio osteosteatomatosam ostendens, longitudinem $2\frac{1}{2}''$, pondus drachmarum novem exhibuit.

Relatio VII. [157]): In cerebro puellae, quae valde diuturna tabe nervosa, amaurosi et vehementissimo capitis dolore remittente ptosique dextra laboraverat et cujus extremitates oculusque lateris sinistri per ultimas morbi septimanas paralysi resoluta fuerant, reperta sunt haecce: ventriculi laterales per magnam fluidi serosi, quod quoque sub tentorio cerebelli et in canali spinali collectum erat, copiam valde dilatati, substantia cerebralis solito firmior tenaciorque; ad dextram pontis Varolii partem induratio glandulosa

156) *cf. Pfeufer* in: *Zeitschr. f. d. Staatsarzneikunde v. Ad. Henke.* IV. *Erlangen* 1822. *p.* 84-87.
157) *cf. Horn* in: *Archiv f. medizin. Erfahr. von E. Horn. Jahrg.* 1813. *März. April. p.* 238.

magnitudinem ovi columbini adaequans, compluribus locis suppuratione destructa jacuit; cujus fluidum purulentum usque ad medullam oblongatam porrectum lobum cerebelli dextrum quoque affecerat, simulque ossa illic sita, praecipue pars petrosa ossis temporum et basis ossis occipitis per cariem destructa fuerunt.

Relatio VIII. [158]): Adolescens quindecim annorum, qui ante sex menses per dolorem profundum, haud acutum, balbutire inceperat, subito, nulla causa cognita, mane ter convulsionibus decem aut quindecim minuta durantibus affectus est, quarum ultimam hemiplegia dextra transitoria et vel major linguae haesitatio sequebatur; pulsus fuit sanus, debilior. Deinde per iram vehementem eximius capitis dolor, photophobia, mox vomituritiones exorta sunt; pupillae valde tardae, pulsus rarus (40 ict.), debilis. Quae symptomata paulatim augentur; pupillae, primum sinistra, postea dextra dilatantur et postremo, amaurosi perfecta exorta, immobiles fiunt; pulsus initio raro (40--50. ict.), intermittens, irregularis, debilis, postea frequentior factus, denique 140. ict. exhibet; praeterea mox somnolentia diurna, deliria nocturna, surditas transitoria, saepius syncopae oriuntur; lotium involuntarie emittitur, facultas loquendi paulatim imminuitur; paucis horis ante mortem conscientia tollitur atque ita, neque paralysibus, excepta ptosi dextra, neque convulsionibus praemissis, aeger succumbit.

Remoto cranio vasa meningum sanguine tumida reperta sunt; substantia cerebri medullaris texturam sanam sed hyperaemiam ostendit; ventriculi quatuor uncias aquae continent; ad partem pontis Varolii sinistram tumor durus, fabae magnitudinem aequans jacet; substantia cerebralis eum circumdans per emollitionem, ventriculus quartus per suppurationem destructus est.

Relatio IX. [159]): Femina longaeva, quae jam diu amaurosi et fatuitate laboravit et vocem amisisse visa est, imbecillitati universali paulatim auctae denique succubuit. Cranium bene formatum, dura mater tenuis et a multis glandulis Pacchioni quasi perforata, pia mater sanguine turgescens, substantia cerebri corticalis multo crassior, medullaris igitur minor, quam assolet, lobus utriusque hemisphaerii anticus emollitus fuit. Cum sella turcica tumor durus, pondus unciar. quatuor, diametrem 2½″ exhibens, arcte conjunctus erat, qui anteriore parte nervos opticos comprimens totam substantiam cerebralem circumdantem in massam oleosam, structura organica plane carentem converterat; glandula

---

158) *cf. Coindet, Mém. sur l'hydrencéphale. Paris et Genève* 1817. *p.* 98—107. Hunc casum et *Lallemand* (*l. c. epist.* VII. *p.* 52.) et *Abercrombie* (*l. c. p.* 439. 15. *Fall*) in libros suos transscripserunt.

159) *cf. Neumann, von d. Krankh. d. Gehirns d. Menschen. Coblenz* 1833. *p.* 483. 45.

pinealis et pituitaria simulque ventriculus tertius omnino evanuerant; thalami nervor. optic. et corporum quadrigeminorum par anticum plane corrugata, corpora striata valde extensa, ventriculi laterales compressi fuerunt; corpus denique ossis sphenoidei emollitum et in massam cartilagineam transmutatum in tumorem et ipsum textura cartilaginea praeditum, membrana autem peculiari carentem, transiit.

Relatio X. [160]): Vir triginta trium annorum, constitutionis bonae, qui ante quatuor annos a scala in cellam deciderat, ex illo tempore doloribus intermittentibus, totum capitis circuitum occupantibus cruciabatur, qui postea in regione occipitali sese fixerunt; simul totum corpus macilentius, facies stupidior, oculus dexter amblyopia, angulus oris dexter paralysi affectus, vox nasalis, pronunciatio verborum et deglutitio difficilis facta sunt, nec non aeger formicationem atque imbecillitatem membrorum sentivit; quae symptomata omnia paulatim ingravuerunt; vox vel difficilior facta vix intelligi potuit, dextra faciei pars non modo omnes motus sed facultatem quoque sentiendi amisit; lingua, quae et gustum et tactum perdiderat, denique ad dextram trahitur, oculus dexter valde debilis, sinister plane caecus. Digestio et respiratio adhuc libera, pulsus frequens; mox autem brachium dextrum infirmum et rigidum fit, olfactus aufertur, deliria interdum quum nocturna tum diurna oriuntur atque ita, macie universali valde profecta, respiratione difficili, stertorosa, aeger e medio tollitur.

Sectà calvarià meninges sanae, cerebrum autem multis punctis sanguineis praeditum fuit; ventriculi nonnulla seri pellucidi cochlearia continuerunt; in fossa occipitali anteriore dextra tumor, volumen nucis permagnae exhibens, ovatus, variis coloribus hic flavo hic brunneo ornatus jacuit, qui non solum dextrum pedunculum cerebri, dimidium pontem Varolii et partem anteriorem lobi cerebelli dextri compresserat atque excavarat sed omnes quoque nervos ibi decurrentes, praecipue nn. acusticum, pneumogastricum, patheticum, oculomotorium, abducentem et opticum aut per compressionem aut per tensionem vario modo commutaverat.

Relatio XI. [161]): Femina quadraginta unius annorum, temperamenti lymphatici, ante undecim annos per magnum aliquem terrorem doloribus sinistrae faciei partis correpta est, qui, initio vagi et leviores, post duos annos, ubi secretio sanguinis menstrualis subito cessit, tam vehementes facti sunt, ut aegra nihil attento animo agere posset; simul incessus per vertigines violentas infirmus, vacillans factus est. Mox formicatio

---

160) *cf. Boyer* in: *Archives générales de médec.* IIe *série. tome* VII. *Mai* 1835. *p.* 91—98.
161) *cf. Jobert l. c.* II. *p.* 446-453.

et motus spastici faciei accesserunt, quae dein, doloribus deminutis, sensu frigoris et postremo in parte sinistra paralysi affecta est, ita ut palpebra inferior penderet, angulus oris ad dextram traheretur et ala nasi sinistra moveri nequiret. Visus atque odoratus optimus, plane incolumis, gustus autem paulatim imminutus denique prorsus evanuit; deglutitio valde difficilis, facultas loquendi fere omnino sublata, extremitates sinistrae, dextris integris, sensu motuque valde debilitatae fuerunt. Deinde interdum syncopae gravissimae exortae sunt et denique, respiratione saepe, viribus necessariis fortasse deficientibus, difficillima facta, aegra per pneumoniam latentem e vivis rapitur.

Capite examini anatomico subjecto in propatulum venit tumor subflavus, gelatinosus, volumen ovi superans, qui, in superficie basilari ante foramen acusticum internum et foramina condyloidea anteriora situs, appendicem per fossam cerebralem mediam ad processus clinoideos anticos misit, nervum abducentem et ganglion Gasseri comprimentem. Pars inferior, posterior lobi medii et anterior lobi posterioris simulque pedunculus et cerebri et cerebelli sinister per compressionem atropha facta excavationes profundas ostenderunt; eodem modo forma pontis Varolii mutata et lobus cerebelli sinister retro pressus fuit; omnes nervi lateris sinistri, excepto optico, olfactorio, oculomotorio et trochleari, compressi, tubercula quadrigemina volumine deminuta, substantia cerebralis autem et medulla prorsus sana inventa sunt.

Relatio XII. [162]): Puella triginta unius annorum, temperamenti lymphatico-nervosi, staturae gracilioris, quae infans saepe abscessibus scrophulosis laboraverat, postea, septem annos nata, post lapsum doloribus in parte capitis occipitali sitis intermittentibus affecta est; qui, quamquam talibus causis valde augebantur, tamen usque ad duodetricesimum aetatis annum motus celeriores e. g. saltationem adhuc permiserunt; tum autem magnopere gravescere inceperunt et mox, vehementissimi facti, per quamque vel levissimam causam provocati, totum caput occuparunt; simul status gastricus accedit et oculi, jam antea congestione perpetua affecti, paulatim, pupillis dilatatis, debiliores et postea prior dexter, tum sinister lucis percipiendae omnino expertes facti sunt; auditus atque olfactus intacti remanserunt; deglutitio valde difficilis interdum perfici nequit; vox quidem servata est sed et sonum et vigorem amisit. Quatuor extremitates summis, qui se inde a capite propagaverant, doloribus affectae, sensim infirmiores factae, primum dextrae deinde sinistrae paralysin perfectam subierunt; color cutis compluribus locis maculis ob-

162) *cf. Jobert l. c.* II. *p.* 456—463.

tectae eximie flavuit; tandem pleuropneumonia aegrotae doloribus et miseriis finem imposuit.

Secto cranio cerebrum, cerebellum et meninges sanguine nimis repleta reperta sunt; ad partem posteriorem medullae oblongatae, in linea fere mediana situs est tumor, ex altera parte durus, solidus, ex altera mollis, fluctuans, magnitudinem ovi gallinacei adaequans, qui sibi in lobo cerebelli sinistro atque ejusdem lateris pedunculo nidum quasi profundum foderat neque solam medullam oblongatam sed quoque pontem Varolii ad dextram pressit. Per compressionem a tumore exercitam corpora quadrigemina atropha facta, plerique autem nervi, praecipue pneumagastrici et glossopharyngei et simul n. facialis, acusticus, hypoglossus, trigeminus atque abducens dextri lateris mutationibus pathologicis affecti sunt.

Relatio XIII.[163]): Vir quinquaginta annorum, qui continuo sincipitis dolore et, ceteris functionibus prorsus integris, vomitu frequente laboravit, post tres menses per exinanitionem inter coma tribus diebus ante obitum exortum abreptus est.

Lustrato cerebro ventriculi fluido seroso repleti et praeterea tumor longitudinem 2'' exhibens repertus est, qui, dura meninge obtectus, e sella turcica profectus fuit.

Relatio XIV.[164]): Puella undecim annorum, quae jam per longum tempus capitis dolore visuque debili laboraverat, per lapsum in sinciput symptomatibus multo gravioribus affecta est; etenim praeter dolorem capitis nunc multo vehementiorem una cum febre et epistaxi frequente et strabismus et convulsiones, interdum dimidia quavis hora redeuntes, exortae sunt nec lux neques trepitus ab aegra perferri potuit. Quae symptomata, postquam quatuordecim menses multo mitiora fuerunt, subito denuo ingravuerunt; mox visus omnino ablatus est atque hoc statu, facultatibus ingenii integris atque auditu valde irritabili remanentibus, aegra ad vitae fines pervenit.

Tumor magnitudinem nucis juglandis exhibens, e substantia medullari subfusca et membrana tenui circumdante formatus, in sella turcica jacuit et chiasma nervor. opticor. compressit.

Relatio XV.[165]): *Cruveilhier* mentionem unius casus facit, de quo, quamquam accuratior morbi historia deest, tamen haecce fere elucent: Puella duodeviginti annos nata, bene nutrita, quae inde e duobus mensibus rationis expers fuit, subito respiratione interrupta, frequente, pulsu myuro, frigore et paralysi extremitatum completa affecta,

---

163) *cf. Abercrombie l. c. p.* 433. 4. *Fall* (relatum a *Braun*).
164) *cf. Abercrombie l. c. p.* 438. 14. *Fall* (relatum a *Hay*).
165) *cf. Cruveilhier l. c.* I. *livr.* II. *pl.* VI. *p.* 1—3.

paucas post horas extinguitur. In media cranii aperti basi tumor usque ad glandulam pituitariam extensus invenitur, qui, tunica arachnoidea obductus, ventriculum tertium, postquam solum ejus perforavit, omnino replet, qua re pons Varolii et peduncului cerebri, ceterum texturam prorsus sanam exhibentes, valde compressi et, ita ut tumorem arctissime circumdarent, excavati, thalami autem nerv. optic. magnopere ad partes externas pulsi, atrophi facti et praecipue in latere dextro per emollitionem destructi sunt.

Quum praeter eos, quos hucusque retulimus, morborum casus complures quidem nostri similiores ab autoribus memoratos, nullum autem historia diligentiore ornatum invenerimus, jam, haec sufficere censentes, transeamus ad partem epicriseos hujus ultimam.

IV. Num revera anatomia pathologica vel alia quaedam ratio cerebri physiologiam clariorem reddere possit, quaeritur.

Plerique autores, postquam historiam morbi cujusdam cerebralis retulerunt, in epicrisi addita e symptomatibus observatis vim partium laesarum physiologicam deducere student; recte enim persuasi, symptomata morbi nihil esse nisi partis eo affectae functiones turbatas [166]), in anatomia pathologica optimum se invenisse credunt remedium ad partis, cujus cognitio tam difficilis tamque parum provecta est, physiologiam accuratius cognoscendam. In nostro autem casu atque in omnibus iis, quos modo memoravimus, non unum tantum locum in cerebro a morbo correptum invenimus, ad quem symptomata inter vitam observata referre possemus, sed tot tantaeque cerebri partes affectae fuerunt, ut e singula earum actionem aliquam laesam deducturi persaepe magnopere erraremus. Igitur aliud quoddam respiciendum hoc loco nobis proposuimus; videamus enim primum, num illa, cujus modo mentionem fecimus, methodus revera apta, deinde, num sola sit ad singulas singularum partium cerebralium functiones recte explicandas.

Ex omnibus autoribus doctrinam anatomicam et physiologicam colentibus, exceptis, ni fallor, solis *Reil* [167]) et *Herder* [168]), quorum autem causas jam *Burdach* [169]) falsas

---

166) „Car les symptômes ne sont que les fonctions troublées," *Flourens* (*l. c. p.* 296.) dicit.

167) *cf. Reil*, *Archiv für Physiologie. Halle* 1796—1812. I. 1. *Stück p.* 170.

168) *Ideen zur Philos. d. Geschichte d. Menschheit.* I. *p.* 115. *seq.*

169) *l. c.* §. 645., quo loco quoque varias cerebri partes variis functionibus gaudere, causis nonnullis partim levioribus partim maximis demonstratur.

rejicit, nullus umquam fuit, qui, suâ quamque cerebri partem functione praeditam esse, negarit, sed complures eorum hanc opinionem permultis iisque gravissimis argumentis firmare studuerunt. Quae singula hic referri quum et longum et supervacaneum videatur, unius tantum mentionem faciamus, quod memorat *Andral*[170]), dicens: „à mesure que nous avançons dans l'étude des symptômes de l'hémorrhagie cérébrale, nous trouvons que les lésions fonctionelles s'isolent et s'individualisent, *ce qui donne un grand poids à l'opinion, qui admet un siége spécial dans le cerveau à chaque faculté intellectuelle.*" Autores igitur, qui singulis cerebri partibus varias functiones addixerant, maxima opera atque omnibus viribus eas indagare studuerunt, quia omnium organorum cerebri cognitio sine dubio summam voluptatem summamque utilitatem iis afferre visa est; sed nullam aliam quoque corporis humani partem accuratius cognoscere tot tantasque, quam cerebrum, difficultates iis praebuit, quas paucis verbis *Bengelsdorff*[171]), largius autem *Lallemand*[172]) enumerat, ita ut ex omnibus, quas ad functiones organi cujusdam indagandas aut ad sedem morbi alicujus dignoscendam adhibere solerent, rationibus una tantum, quam primus *Morgagni*[173]) aptam commendavit, anatomia pathologica iis praecipue apta videretur. Qua autem quamquam viri diligentissimi atque ingeniosissimi per tantam annorum seriem summo studio usi sunt, tamen cerebri cognitio ad hunc usque diem tam parum profecit, ut omnes autores, de nulla re magis quam de singularum cerebri partium actionibus discordes, physiologiam nullius corporis humani organi majoribus tenebris premi, una voce concedant. Sic e. g. inter eos, quos modo nominavimus, *Bengelsdorff* verbis supra memoratis addit: „quamquam fateri debemus, omnes, quae ad hoc usque tempus exstant, observationes rem illam non multo reddidisse clariorem," *Andral* autem: „ce n'est pas que nous voulions dire, que ce siége nous soit connu, car la science sur ce point ne présente que confusion et divergence," denique *Lallemand* mul-

---

170) *Cours de pathol. int. livr.* III. *p.* 97.

171) *Dissert. de morbis quibusdam encephali organicis. Berol.* 1837. *p.* 6. *s. fin. Bengelsdorff* bene dicit: „at quem fugit, quantae sint difficultates, indagandi functiones organi tam absconditi, cujus directa quidem inspectio institui nequit, indirectam vero ipsa tanta organi istius dignitas prohibet; quae si cogitamus, dubium videri non potest, ad pathologiam esse confugiendum, et quemque morbi casum tam quod ad symptomata quam quod ad mutationes in cadavere inventas, diligentissime perscrutandum."

172) *l. c. epist.* I. *préface p.* V—XI.

173) *Morgagni (de sed. et caus. morb. lib.* IV. *prooem.)* dicit: „Nulla est alia pro certo noscendo via nisi quam plurimas et morborum et dissectionum historias, tum aliorum, tum proprias collectas habere et inter se comparare."

tas causas, quae »l'état arriéré de nos connaissances sur ces maladies« excusare debent, enumerat. Et hoc quidem sine dubio magis quam omnia alia argumenta, ad cerebrum cognoscendum methodum illam anatomico-pathologicam, in tota physiologia praeterea optimam, haud aptam esse testatur; cujus rei causas nunc, priusquam ad aliam methodum observandam nos accingamus, paucis verbis explanemus.

Primum morbus nullius organi tam varia prorsusque diversa symptomata efficere potest, quam cerebri; quodque aliud enim organon uni potissimum corporis functioni obnoxium in illam quoque solam, si statu pathologico corripitur, agere poterit; sic hepar aegrum semper nihil nisi digestionem, pulmones solam respirationem impedient; cerebrum autem, quod cum omnibus corporis humani partibus nexu gaudet intimo, simulatque morbo quodam afficitur, modo in organa respiratoria aut chylopoëtica vim habebit, modo in systemate uro-genitali aliove symptomata morbosa provocabit, quorum causa primaria tum nimis saepe haud detegitur. Alia autem causa, cur morbi cerebralis symptomata recte observare tam difficile sit, in eo sita est, quod ea in nullo alio morbo tam parum constantia sese praebent et tam irregularem decursum faciunt, quam hic, ubi saepe non minus subito evanescunt, quam modo exorta sunt, ubi permulta eorum modo ab aliis gravioribus obscurantur atque absconduntur, modo sine ulla causa nota auferuntur et tunc saepe, aut, ut pleraeque affectiones systematis nervei, certo quodam typo usa aut eo carentia, redeunt, raro autem usque ad vitae finem perdurant. Quamobrem in iis observandis sine dubio summa diligentia atque opera est collocanda.

Quae animi attentio in altera quoque propositi illius parte non negligenda est, in exploratione anatomica instituenda. Sane enim nullum corporis humani organon structura tam varia et subtili ornatum est, quam cerebrum neque ullum per cultrum anatomicum tam facile laeditur, quam tot illius partes perparvae, tenerrimae, quae, quum tam tenues atque exiguae sint, persaepe quoque una cum commutationibus pathologicis in iis effectis omnino praetermittuntur.

Praeterea autem, quamquam laesiones majores e. g. haemorrhagias profusas, tumores magnum circuitum praebentes, exostoses cerebrum comprimentes facile semper reperiri concedimus, tamen persaepe casus obveniunt, in quibus, quum aut pseudoformationes minores adsint aut exigua pars substantiae cerebralis ipsius statu pathologico, modo emollitione modo induratione destructa sit, ad causam symptomatum antea observatorum indagandam disquisitione diligentissima atque accuratissima opus est. Praesertim vero exiguae tales destructiones fere semper negliguntur, si perscrutatores

cerebri jam unam fortasse majorem invenerunt, quam ad symptomata explicanda sufficere putantes aliam quandam neque suspicantur neque investigant. Attamen in nulla corporis parte tam exiguus inter morbum efficientem et symptomata effecta consensus observatur, qui in cerebro tam parvus est, ut e. g. pseudoformationes maximae saepe omnino nulla, minores autem vehementissima symptomata efficiant. Gradus igitur functionum laesarum haud pendet a magnitudine destructionis et *Albers* [174]), qui dicit, tumorem in basi cerebri situm nucis avellanae, in superficie vero aut in latere juglandis magnitudinem sine ullis symptomatibus adaequare posse, valde errasse mihi videtur. Multo melius contra atque omnino cum experientia consentienter *Cruveilhier* [175]) vehementiam symptomatum a magnitudine partium laesarum nullo modo pendere contendit; revera quoque saepe graviora symptomata cerebralia adfuerunt neque ulla cerebri desorganisatio post mortem reperta est, quod mirari vix possumus, quum cerebrum propter eum ipsum, quem supra memoravimus, nexum cum omnibus aliis corporis partibus saepissime per consensum affici necesse sit. Aliud autem phaenomenon, haud raro post mortem magnas destructiones reperiri, quae inter vitam ne unum quidem symptoma provocarant, plerique autores e. g. *Flourens* [176]), *Lallemand* [177]) etc. ex omnium cerebri pseudoplasmatum evolutione eximie lenta [178]) una cum facultate cujusque systematis nervei partis, functione integra, formam interdum magnopere commutandi [179]), explicandum esse cen-

---

174) *Erläuterungen zum Atlas der patholog. Anat. I. Abtheil. Bonn.* 1832. *p.* 210. *et* 211*:* „kleine Geschwülste erregen am leichtesten Symptome, wenn sie sich an der Basis des Hirns befinden; sind sie grösser als eine Haselnuss, so bewirken sie hier jedesmal Störungen der Hirnverrichtungen. An der Hirnoberfläche und den Seiten können die Geschwülste schon so gross als eine Wallnuss sein und die Hirnverrichtungeu erscheinen doch ungetrübt.“

175) *l. c.* I. *livr.* VIII. *pl.* I, II. *et* III. *p.* 12. *s. fin.:* „nous rencontrerons ces contradictions dans la plupart des maladies du cerveau, maladies qui nous présentent tantôt des lésions extrêmement graves pour expliquer des symptômes très-peu intenses, tantôt des lésions légères pour expliquer des symptômes fort graves.“

176) *Flourens (l. c. p.* 297 *s. fin.):* „on reconnaît, en outre, que les effets de la compression ne surviennent qu'autant que la partie éprouve déjà un certain affaissement ou déformation.“

177) *l. c. epist.* I. *préface p.* VII: „on sait, que des altérations profondes peuvent s'y (i. e. dans le cerveau) développer, pourvu que ce soit avec une extrême lenteur, sans se manifester au-dehors par des phénomènes“ etc.

178) *Burdach (l. c.* §. 224.*)* dicit: „Die krankhaften Bildungshergänge nehmen im Gehirn meist einen ziemlich langsamen Verlauf.“

179) *Flourens (l. c. p.* 297*):* „le cerveau est susceptible de céder ou de s'affaisser jusqu'à une certaine limite, avant d'être altéré au point que ses fonctions soient troublées.“ — *Lallemand (l. c.*

sent. Recte quoque *Burdach*[180]), saepe symptomata initio per morbum cerebri organicum provocata mox evanescere, tumorem autem aliamve illorum causam remanere et post mortem detegi, memorat, compluribusque exemplis additis firmat. Aliud denique, quod haud raro observamus, tumores et naturâ et magnitudine prorsus aequales in aliis casibus fere nulla, in aliis vehementissima symptomata efficere, *Cruveilhier* per situm tumoris in cerebro explicare studet; dicit enim[181]): »j'ai cru trouver une des données du problème dans la direction suivant laquelle s'exerce la compression du cerveau. Ainsi une tumeur, qui agira sur les circonvolutions cérébrales antérieures d'avant en arrière produira sur le cerveau une compression bien moindre qu'une tumeur du même volume qui agira de haut en bas. Une tumeur qui agira transversalement ou obliquement sur un hémisphère comprimera en même temps l'hémisphère opposé, d'ou les phénomènes de la compression générale du cerveau.« Hoc optime convenit cum experimentis, quae instituit *Flourens*[182]), de hac re dicens, post sectiones ad longitudinem hemisphaeriorum factas functiones primum turbatas, mox prorsus restitutas esse, post sectiones transversas autem se hoc numquam observasse. Aliam opinionem sequitur *Andral*[183]), qui, praeter commutationes cerebri per dissectionem inventas alias morbi conditiones cultrum anatomicum fugientes adesse, censet, quae functiones partis laesae modo turbarent modo integras servarent.

Licet autem autores de hujus rei explicatione adhuc litem habeant, quam decernere haud nostri est, tamen de re ipsa omnes consentientes, laesiones cerebri parvas interdum maxima, maximas parva symptomata efficere, affirmant; quamobrem, ut supra

---

epist. VII. *p.* 118), postquam imprimis de cerebro nonnulla verba fecit, dicit: „toutes les parties du système nerveux sont également susceptibles de s' alonger beaucoup, et de changer de forme sans perdre leurs fonctions."

180) *l. c.* §. 495: „die materielle Abnormität kann bleiben und die Wirkung, welche sie anfänglich auf das Leben äusserte, schwinden."

181) *l. c.* I., VIIIe *livr. pl.* I, II *et* III. *p.* 5, XVII.

182) *l. c. p.* 107. *s. fin.*: „ainsi, les sections longitudinales des lobes cérébraux, quels qu'en soient le siége et l'étendue, sont bientôt suivies de réunion de l'organe avec restitution entière de la fonction; tandis que les sections transversales ne sont jamais suivies ni de la réunion de l'organe, ni du retour de la fonction etc."

183) *Andral*, (*clin. médic.* V. *p.* 365) dicit: „par de-là les conditions morbides appréciables sur le cadavre, il y en a d'autres tout aussi importantes, qui échappent aux investigations anatomiques, et qui ajoutent leur toute-puissante influence à celle des premières, pour permettre ou empêcher la manifestation des désordres fonctionnels."

diximus, persaepe fortasse functiones quaedam non per majores, quas dissectio anatomica manifestas reddidit, sed per alias minores ideoque neglectas cerebri affectiones turbatae fuerunt.

Itaque neque symptomatibus neque cerebri commutationibus pathologicis relatis nimis confidere debemus, quum et in his et in illis indagandis autores haud eam, quam et *Bengelsdorff* loco supra citato et *Gottschalk*[184]) etc. commendant, diligentiam adhibuisse videantur. Potius magnae, quas supra memoravimus, in morbis cerebralibus observandis difficultates eo minus superatae sunt, quum in hac quoque ut in omnibus literarum medicarum partibus medici maxime periti atque occupati observationes suas memoratu dignissimas omnino non in publicum ederent sed plerique tales casus male observati maleque expositi o tironibus experientia adhuc prorsus carentibus descripti sint[185]).

Quum igitur ad illas, quae revera malam observationem referunt, morborum historias eae quoque accedunt, quae nimis leviter atque indiligenter[186]), simulque eae, quae, ut opinionem aliquam antea conceptam firmare possint, exigua probitate fideque[187]) narratae sunt: tum, omnes fere autores de morborum historiis ineptis omnique fructu

---

184) *l. c.* III. *p.* 195. *s. fin.*: „Der einzige Weg diese anerkannte Schwierigkeit, soweit sie Krankheiten mit organischen Veränderungen betrifft, zu überwinden ist, die Anzahl *authentischer* Fälle zu vermehren, wo die Symptome und die pathologischen Erscheinungen *glaubwürdig* verzeichnet sind.“

185) Huc referendum est, quod *Strahl* (*Die kalten Wasserkuren in ihrem Einflusse auf d. verschied. Formen d. Unterleibskrankh. Berl.* 1842. *p.* 31. *s. fin.*) nuper dixit: „Es ist eine sehr bekannte Thatsache, dass die beschäftigtsten Aerzte, welche Gelegenheit haben, die meisten und seltsamsten Erfahrungen über den Verlauf der Krankheiten zu machen, gar nicht schreiben; jüngere Aerzte nur, welche noch nicht wissen, wie unendlich schwer es ist, wahre Erfahrungen zu machen, werfen sich so unberufen als ungeschickt zu Vertretern der medicinischen Literatur auf.“

186) Bene de hac re *De Bey* (*l. c. p.* 5. *s. fin.*) dicit: „denique non possum, quin valde lugeam, tantas tamque memoratu dignas observationes parum accurate obiterque esse aut enarratas aut relatas, cum tamen inter omnes constet, observationem non accuratam, etsi novam et inauditam, obesse magis doctrinae de indaganda morborum diagnosi, quam prodesse.“

187) Hoc *Lallemand* compluribus locis recte notat; e. g. (*l. c. epist.* V. *p.* 234) dicit: „les opinions, qui ont régné à diverses époques sur les fonctions des diverses parties du cerveau, ont aussi exercé beaucoup d'influence sur la redaction des observations relatives aux lésions organiques de ce viscère. *La plupart du temps elles ne font mention que de ce qui peut être favorable ou contraire à telle ou telle hypothèse; le reste est entièrement négligé*“ atque alio loco (*l. c. epist.* I. *préface p.* XIV.): „enfin, parmi les observations suffisamment détaillées qu'on rencontre dans les auteurs, il en est qui ont évidemment été recueillies *pour appuyer des idées préconçues* . . . La plupart, dit Vicq-d'Azir, rapportent plutôt ce qu'ils on pensé et jugé que ce qu'ils ont vu, ou ils confondent l'un et l'autre au point *qu'il est difficile de compter sur leur témoignage.*“

carentibus conqueri atque *Albers* confiteri [188]), „e magno earum ab ipso collectarum numero dimidiam partem ad disquisitiones accuratiores instituendas prorsus inutilem fuisse,“ minime possumus mirum habere. Tales igitur totque malis depravatae fuerunt morborum relationes, e quibus autores singularum cerebri partium physiologiam deducere studuerunt. Qua in re nonnulli, illum quoque errorem committentes, de quo quum *Cruveilhier* [189]) tum *Andral* [190]) gravissimis verbis quemque praemonent, e singulo aut perpaucis casibus partis cujusdam functionem explicarunt, qua re sine dubio multo majus detrimentum et periculum scientiae attulerunt quam commodum atque utilitatem. Recte enim *Baglivi* [191]) de singulis talibus observationibus, quas optime cum singulis alphabeti literis comparat, dicit: „licet per se inutiles sint, varie tamen collectae et inter se collatae ac dispositae, verum naturae idioma constituunt.“ Alii autem autores hunc quidem errorem fugerunt sed evitantes Charybdin inciderunt in Scyllam. Illud enim, quod jam *Morgagni* loco supra citato suadet, secuti plurimas quidem et morborum et dissectionum historias collegerunt et inter se compararunt, alius autem ab eodem illo autore clarissimo moniti [192]) immemores eas non satis perpenderunt sed solum numerarunt. Sic inter alios *Burdach* summo studio eximium observationum numerum affert; sed in iis eligendis tam parum caute et circumspecte egit, ut permultas morborum historias male nimisque obiter narratas, interdum fide prorsus carentes reciperet.

Denique autem alia quoque permultorum in hac re errorum causa exstat; persaepe enim functiones alicujus partis e morborum cerebralium casibus haud meris, qui aut cum alio organismi morbo complicati fuerunt aut complures cerebri partes destructas ostenderunt, explicati sunt; quod sine dubio numquam recte fieri potest sed doctrinae adhuc tam parum perlustratae semper summum affert damnum; etenim tum persaepe laesioni

---

188) *Albers* (*l. c. p.* 210.) dicit: „Zu dem Vergleich wurden 256 Beobachtungen von den verschiedensten ältern und neuern Schriftstellern gesammelt; die Hälfte dieser Beobachtungen ist durchaus ungenügend für eine genaue Untersuchung.“

189) *Cruveilhier* (*l. c.* I. *livr.* VIII. *pl.* I., II. *et* III. *p.* 2.) dicit: „*Ce vice de raisonnement si funeste dans les sciences, qui conclut du particulier au général.*“

190) *Andral* (*cours etc. livr.* IIIe *p.* 26. *s. fin.*): „les observations ne sont pas encore assez nombreuses pour qu'on puisse établir quelque loi générale; il en faut pour cela un très grand nombre, *car ce qui a nui le plus à la pathologie cérébrale, c'est la manie de tirer des conclusions de quelques faits seulement.*“

191) *cf. Baglivi*, *praxis*, *lib.* II. *cap.* 3. §. 111.

192) *Morgagni* (*epist.* 51. *No.* 47.) dicit: „*Neque enim numerandae sunt, sed perpendae . . . observationes.*“

cerebrali functionem quandam turbatam, quam alius organi cujusdam morbus effecit, falso adscribas neque raro symptomatis alicujus causam in certa cerebri parte destructa quaeras, quamquam illud revera sedem suam in alio ejus loco habet. Igitur hic quoque omnium errorum fons uberrimus.

Sed omnes, quas hucusque memoravimus, difficultates a nobismet ipsis provocatas tollere possimus; haud pauci enim revera morborum diligentissime observatorum exstant casus optime narrati, in quibus saepe una tantum pars cerebralis a morbo quodam correpta neque ulla alia cum cerebri commutatione affectio complicata fuit; etiamsi autem has solas, remissis omnibus aliis, ad functiones singularum partium cerebri indagandas adhibeamus, tamen permultis erroribus obnoxii simus propter alias graviores difficultates, quae, quum in cerebro ipso sitae sint, nullo modo a nobis removeri possint.

Structura enim cerebri, permultis peritissimis autoribus e. g. *Bright*[193]), *Magendie*[194]) etc. testibus, talis est, ut causa quaedam comprimens, quamquam in una cerebri parte prorsus circumscriptâ sita, non in eam solam sed in totum cerebrum pressione agat; *Burdach*[195]) etiam credit, functionem organi alicujus cerebralis magis per transmutationes partium finitimarum quam per destructionem substantiae propriae turbari. Quamobrem omnes quoque casus, in quibus pressio vera adest, quippe in quibus symptomata semper complicata sint, omittendi nobis sunt neque postremo alii ad finem nostrum remanebunt, quam illi, in quibus substantia cerebralis emollitione aut induratione destructa non pressionem ipsam sed symptomata ejus i. e. functiones imminutas aut sublatas effecit. Sed iis quoque haud nimis confidere debemus; etiamsi enim talis substantiae destructio non s. d. mechanicam vim in alias partes habet, tamen propter eximium inter omnes cerebri partes nexum atque consensum facillime, ut ita dicam, dynamice in eas agat

---

193) *cf. Magaz. d. ausländ. Literat.* XXIV. *p.* 452.: „Der Blutklumpen, der direct einen Hirntheil comprimirt, übt in einem geringern Grade Druck auf eine andere Parthie aus, und dadurch compliciren sich die Erscheinungen."

194) *Magendie (leç. etc.* I. *p.* 197.) dicit: „*Quel que soit le siége de l'épanchement, . . . la loi d'égalité de pression trouve toujours son application;* vous obtenez des désordres semblables à ceux qu'aurait déterminés la lésion organique des parties du cerveau situées plus en arrière, parceque *ces parties, bien qu'éloignées de la cause comprimante, reçoivent leur part de la pression générale.*"

195) *Burdach* (*l. c.* §. 918.) complures causas affert, quae demonstrare debent „dass die Störung der eigenthümlichen Function eines Organs deutlicher hervortritt, wenn sein Leben durch Congestionen an seiner Peripherie und durch Abnormitäten benachbarter Theile gestört wird, als wenn es in seiner Substanz selbst eine grössere Veränderung erlitten hat."

et, quod *Jobert*[196]) jam dixit, functiones systematis nervei universi vario modo turbare possit.

Quum igitur ex omnibus causis huc relatis, cerebri physiologiam per methodum illam pathologico-anatomicam nullo modo clariorem reddi posse, intellexerimus, jam postremo ad aliam et quidem ad eam, quae functiones singularum cerebri partium per experimenta instituta declarare studet, observandam nos convertamus. Quae experimenta duplicis sunt generis; instituuntur aut in hominibus, aut in animalibus; quorum illa, quum numquam, nisi hominibus post graviores calvariae vulnerationes aut trepanationem per aliquot tempus superstitibus, fieri possint, rarissima sunt. Attamen revera nonnulla exstant, quorum *De Bey*[197]) tredecim enumerat; quae autem hoc loco non memoramus sed eo magis negligimus, quia necessario in cerebrum hominis viventis tantum per pressionem leviorem agi potuit, de qua tum omnia ea valent, quae supra de pressione cerebri in universum protulimus. Alterum autem eorum genus, s. d. vivisectiones i. e. experimenta ad physiologiae usum in animalibus vivis instituta, quamquam per satis longum tempus a viris experientissimis atque ingeniosissimis e. g. *Haller*, *Zinn*, *Lorry*, *Rolando* etc. culta, tamen scientiae nostrae nullam fere utilitatem sed e contrario praecipue omnes eas tenebras et controversias, quibus illa tam diu laboravit, attulerunt. Quod phaenomenon opinionem multorum illorum firmare videtur, qui talium experimentorum fructum omnino negantes, ex observationibus in animalibus institutis de homine nihil certioris concludi posse, credunt. Sed hanc opinionem prorsus falsam esse, experientia ipsa nos docet, quae, quamque physiologiae humanae partem per vivisectiones a physiologis clarissimis institutas quotidie eximium in modum locupletari et firmari, ostendit; quod non solum ad omnes alias organismi partes sed praecipue quoque ad systema nerveum referendum esse, *Magendie* compluribus libri saepius citati locis optime demonstrat. Potius sola causa, cur vivisectiones ab autoribus antiquioribus tanto studio cultae disciplinae nostrae tam parum profuerint, in minus apta et fallaci indagandi methodo, quam omni fide carentem illi secuti sunt, est quaerenda.

Illi enim, calvariâ plerumque ope terebrae perforatâ, cultro acuve gracili per parvam illam aperturam in cavum cranii inducto singulas cerebri partes attingere studue-

---

196) *Jobert* (*l. c.* II. *p.* 467.): „ces considérations nous conduisent à cette vérité évidente, que . . . . tous les renflemens ont une influence réciproque, qui ne permet pas que l'un d'eux soit enlevé ou mutilé sans que l'appareil nerveux soit affecté d'un trouble variable dans les résultats et dans la gravité des phénomènes produits."

197) *De Bey l. c.* a *p.* 92. usque ad *p.* 98.

runt. Qua agendi methodo usi illi primum numquam satis certe perceptum habuerunt, quemnam cerebri locum irritarint; sine dubio enim persaepe, instrumenti mucrone, quippe quem non viderent, a via proposita aberrante, alias partes laeserunt, quam attingere et voluerunt et sibi visi sunt ideoque functiones turbatas alicui cerebri parti haud raro perperam adscripserunt. Deinde symptomata hoc modo effecta numquam mera sed varie complicata fuerunt; partim enim, quum singulae partes ita ab aliis apte sejungi nequaquam possent, aliae quoque quam revera laesae per consensum intimum, de quo supra praemonuimus, affectae sunt; partim quoque acus numquam ad partes profundiores pervenire potuit, nisi perforatis superioribus, quae tum sua symptomata cum aliis consociabant; partim denique non raro haemorrhagiae profundae exortae sunt, quae, quum sanguis effluere nequiret, uti apoplexiae, symptomata pressionis universalis attulerunt. Postremo per experimenta illa cerebri partes quidem vario modo laedi et truncari, numquam autem totae auferri potuerunt, quod tamen interdum ad functiones impediendas omnino necessarium est [198]).

Nimirum igitur per hanc experimenti instituendi methodum cognitio nostra de singularum cerebri partium functionibus minime potuit augeri sed solum magnopere turbari, quod quum satis cognitum haberent, nonnulli viri ingeniosissimi, praecipue *Flourens* et *Magendie* novam aptiorem methodum excogitare studuerunt, quod quoque optime iis provenit. Illi enim, calvariâ prorsus ablatâ, agunt, ita ut omnia in aperto ante oculos habeant, quo id assequuntur, ut primum eam solam, quam attingere volunt, cerebri partem revera laedant, deinde haemorrhagias forte exortas aut sistant aut eo, quod sanguis nullo impedimento retinetur sed libere defluit, pressionem evitent, denique singulas partes facillime sejungere [199]) et, si necessarium est, totas cerebri partes eximere possint. Itaque omnia, quae supra notavimus, methodi antiquioris vitia per hunc agendi modum optime evitata neque alia nova exorta sunt; si quis enim credat, animalia graviores et majores has laesiones perferre nequire, prorsus errat; potius, ea per has haud magis affici, quam per minores violationes a perscrutatoribus antiquioribus institutas, experientia satis docuit. Nimirum ad experimenta talia animalia juniora eligenda sunt,

---

198) *Flourens* (*l. c. p.* 508. §. IV.) dicit: „la seconde condition est, dans certains cas, d'enlever les parties en entier; on a vu en effet qu'une portion, même très limitée, des lobes cérébraux, suffit à l'exercice de leurs fonctions; on a vu, de plus, qu'il suffit de conserver l'un des deux lobes pour que l'intelligence entière soit conservée etc."

199) *Flourens*, qui hoc maximi momenti esse censet, ideo totam hanc methodum nominat *méthode isolatrice.*

partim, quia illa tales mutilationes facilius sustinere possunt, partim, quia ossa capitis adhuc molliora parumque resistentia, facilius auferuntur, partim denique, quia sinus durae matris adhuc exigui minorem sanguinis copiam effundentes vitam animalis non in tantum discrimen vocant, quam postea magis evoluti [200]). — Denique, reprehensionem illorum, qui hanc ob rem nos crudeles atque inhumanos vocant, nullius pretii existimantes [201]), non solum animalia humiliora magisque imperfecta e. g. ranas [202]), sed magis evoluta praecipue mammalia variorum ordinum [203]), quorum systema nerveum humani similius est, abhibere debemus. Quae experimenta, quamquam hucusque a paucis tantum culta, tamen revera jam nunc lucem aliquam de singularum cerebri partium functionibus nobis attulerunt [204]) et sine dubio etiam ultimas tenebras gravissimam hanc physiologiae partem adhuc obscurantes mox dissipare poterunt; quamobrem ea prae ceteris a pluribus viris peritis fideque dignis summa diligentia curaque repetenda atque augenda esse, eo magis censeo, quum haud dubitem, una cum *Magendie* [205]) profiteri: *„c'est la seule manière d'éclairer l'histoire des fonctions et des propriétés du système nerveux central."*

Tres morborum systematis nervei historiae adduntur.

Relatio prima.

Jacobus Mayer, vir triginta annorum, scriba publicus Marburgensis, habitu robusto, bene nutrito, constitutione torpida, pastosa, temperamento valde phlegmatico, primis vitae

---

200) Has causas *Flourens*, qui omnino de vivisectionibus colendis optime meritus est, affert *l. c. préface*, *p.* VII. *s. fin.*

201) *Magendie* de hac re optime dicit (*l. c. p.* 172.): „la vie de quelques animaux n'est rien quand il s'agit de sauver ou de prolonger celle de ses semblables."

202) *Nasse* (*cf. Unters. über d. Nervensyst. v. Budge. Frankf. a. M.* 1841. I. *p.* 130.) de ranis hac ratione recte dicit: „Das an Fröschen Beobachtete kann nicht über Säugethiere und den Menschen... Zeugniss geben."

203) *Budge* (*l. c. p.* 131. *s. fin.*) dicit: „Meines Erachtens hat ein Versuch an Fröschen nur dann volle Wichtigkeit, und sein Resultat verdient nur dann Anwendung auf die menschliche Physiologie, *wenn er zuvor auch an Säugethieren gemacht worden ist und sich ebenso gezeigt hat.*"

204) *Magendie* (*l. c.* I. *p.* 205.): „Plus on acquiert d'habitude dans l'art si difficile d'observer, plus les faits pathologiques en opposition avec les expériences deviennent rares. Aussi, est-ce surtout dans les anciens recueils qu'on va puiser des objections."

205) *l. c.* I. *p.* 202. *s. fin.*

annis laboravit morbo quodam auris dextrae, de quo nihil memorare potuit, nisi quod audiendi facultatem in illo latere amisit; ceterum autem puer optima valetudine fructus est, quam postea quoque adultus, quamquam vitae rationem parum salutarem degens simulque coenae et praecipue spirituosis libentissime semper indulgens, perpetim servavit. Inde e quatuor circiter mensibus primum de morbi alicujus symptomatibus sensim mirum in modum auctis conquestus est, praesertim de mente ingenioque correpto et deficiente, de lethargo, de obtuso in regione capitis frontali et auriculari dolore, de vera etiam saepe amentia, stupore et fatuitate, denique de tam absoluto memoriae defectu, ut per nonnullas septimanas ne mechanicis quidem officiis suis satisfacere posset. Quum nullam hujus morbi causam aeger proferendam haberet, nisi quod ex aliquo tempore pulvere sternutatorio antea haud usitato persaepe uti incepisset, medicus quidam consultus statum ejus haemorrhoides perversos esse putans sulphurem aliaque remedia s. d. antihaemorrhoidalia praescripsit; quibus quum morbus minime levaretur, aeger die 20. m. Octobris a clarissimo *Heusinger* auxilium impetravit.

Tum praeter illa, quae memoravimus, symptomata aegrotus haecce prae se tulit morbi signa: dextram faciei partem paululum demissam et spasmo tonico affectam, extremitates sinistras dextris infirmiores, linguam prolatam paulo ad dextrum latus versam, oculos hebetes, languidos, olfactum valde deminutum. Ceterum cranium bene conformatum, congestio ad caput fere nulla, digestio optima; faeces et lotium voluntati quidem obnoxia sunt sed tarde demum ei obsequuntur; eodem modo omnes motus tardi atque incerti fiunt et pedes interdum officium recusant, ita ut aeger ingrediens aut e lecto surgens saepius humi procubuerit.

Ex omnibus symptomatibus modo relatis cerebri compressionem alicubi adesse satis apparuit; neque vero de causa pressionis neque de loco, quem in cerebro obtinuit, quidquam certi dignosci potuit; attamen propter affectionem olfactus visusque, causam comprimentem sive hypertrophiam cranii, sive incrassationem aut exsudationem meningum sive denique formationem aliquam spuriam in lobis cerebri anterioribus et quidem, quia facies in dextra parte, extremitates autem in sinistra praecipue affectae erant, totam aut certo majore ex parte in hemisphaerio dextro sitam esse, verisimile fuit.

In hoc casu sine dubio prognosin maxime infaustam praebente partim a capite ad aliud organon, praecipue ad cutem et tractum intestinalem derivandum, partim depressa nervorum actio excitanda et confirmanda erat; quamobrem unguent. stibiat. in totam calvam illinendum et ad usum internum mercur. dulc. cum pulv. herb. digital. purp. simulque species e rad. valerian. cum flor. arnicae et rad. serpentar. praescribuntur.

Quae cura postquam per aliquot dies vim satis bonam in aegri statum habuit, subito die 28. m. Octobr. post noctem per somnia et phantasmata terrentia prorsus insomnem aegrotus lectum relinquens, vomitum faecesque fluidas, brunneas emittens procumbit humi, primum convulsionibus extremitatum, deinde sopore alto affectus, oculis clausis, pupilla autem contractili, voce ablata. Paulo post una cum voce mens atque animus redit; de doloribus aeger non queritur; pulsus est rarus, oedema lateris dextri observatur, extremitatum convulsiones blandae remanent; et alvus et lotium involuntarie emittitur. Ad derivationem a capite efficiendam nunc cervici, brachiis surisque sinapismi imponuntur. Attamen eodem die vespere denuo paroxysmus priori simillimus exoritur; nox autem quieta est; involuntariae alvi dejectiones desunt. Sequente die status idem, oedema in facie quoque exortum. Quum symptomata hesterna aut per apoplexiam sive cruentam sive serosam aut per serum e cystide rupta effusum provocata viderentur, nunc derivatio in tractum intestinalem et uropoëticum per remedia priora continuatur et additur species diuretica (rad. onon. spin., rad. levist. etc.)

Per hanc curam diebus sequentibus status primarius omnino restitutus, deinde initio m. Novembris, statu aegroti universo non amplius mutato, illitus ungti hydrarg. cin. instituti et propter singultus et vomituritiones ad priora symptomata accedentes spec. carminativa (sem. foenicul., sem. anis. stellat. etc.) praescripta est. Post duas fere hebdomades status sensim in deterius vertitur; lotium et somnienti et vigilanti involuntarie defluit; animi imbecillitas, memoriae defectus magnopere augentur, paralysis dextras quoque extremitates afficit; tamen per complures menses vita per remedia nervina (rad. valerian., flor. arnic.) et aromatico-tonica (rad. calam. aromat., mitiora ferri praeparata) sustentatur; ungt. hydrarg. cin. in frontem, regionem auricularem posteriorem et verticem continuo quamquam frusta usque ad ptyalismum subintrantem illinitur.

Attamen status aegri sensim tam sinister omnisque spei expers factus est, ut die 18. m. Martii ille omnino desperatus et sine dubio mortem mox obiturus in nosocomium Marburgense reciperetur; quo tempore haecce symptomata prae se tulit: extremitates omnino paralyticae erant, faciei pars dextra cum oculo dextro paralysi affecta; caput atque os adhuc movetur; degluticndi et breviora verba pronunciandi facultas remanet; quaestiones propositas aeger intelligit, sed, memoriâ omnino ablatâ, tristissimi ipsius status prorsus inscius jacet in lecto, infantis neonati instar, contente subridens, faeces involuntarie ejectas non animadvertens, cibum non postulans, oblatum autem libenter accipiens; digestio est optima, alvus quotidie exoneratur, facies nunc quoque bene nutrita, rubicunda; somnus sufficiens, quietus; nec spasmi nec dolores. Jam post paucos

dies aeger loquendi et, uti videbatur, cogitandi facultatem amisit; auditus autem et visus in sinistro latere incolumis; tum caput moveri nequit, ita ut saliva ex ore aperto defluat; facies colore livido obtegitur. Initio m. Aprilis aegrotus deglutitionis per nonnullos dies difficilis factae facultatem prorsus amittit, ita ut cibi in ore remaneant; tum respiratio fit difficilis, stertens et post agonem duorum dierum die 3. m. Aprilis inter convulsiones leviores aeger abripitur morte manifeste suffocatoria.

Lustrato cadavere pulmones quidem hyperaemici, ceterum autem omnia pectoris atque abdominis organa prorsus integra reperiuntur; vasa cerebri sanguine atro tument, superficies hemisphaeriorum nihil memoratu dignum praebet; ad basin autem eorum inter lobos caudicis s. intermedios tumor apoplecticus foveam sibi paraverat, qui, longitudinem 2″ 10‴ et maxima ex parte latitudinem 1″ 4‴ aequans e cavo duobus sanguinis coagulis siccis durisque repleto et ex involucro circiter 8‴ crasso, structuram cellulosam praebente constitit; cum anteriore ejus parte in lobi antici dextri fossam cruciatam s. sulcum cruciformem (solco crociforme *Rolando*) porrectâ cystis pellucida, fluctuans, quae diametron 1″ habuit, arcte conjuncta substantiam cerebralem suprajacentem per compressionem adeo extenuaverat, ut fundus ventriculi lateralis, jam per se loco illo tenuior, ne unius quidem lineae crassitudinem praeberet. In cystide accuratius explorata duae bullae, per parietem interpositam in externam majorem atque internam dimidio minorem sejunctae apparent, quarum in utraque cysticercus invenitur. Per hanc cystidem caput corporis striati longius ad externam et retro pressum, per inferiorem autem tumorem lobus intermedius dexter magnopere (fere 1″) ad partem externam ursus, chiasma autem nerv. optic. sursum latum est. Omnes aliae cerebri partes incolumes sese praebent.

Relatio secunda.

J. Sch. Eberling, agricola e pago *Langenstein*, triginta duos annos natus, statura altiore, quadrata, habitu sano, robusto, usque ad duodetricesimum aetatis annum optima valetudine gavisus, tum, spirituosis per longius tempus magnopere deditus, primum ebrius insultu epileptico affectus est, quem mox alii secuti sunt. Qui, initio quidem rariores levioresque, paulatim, spiritu frumenti nunc quoque largâ copiâ sumto, valde ingravuerunt et praesertim inde ex uno circiter anno, ubi aeger ab officiali quodam foras ejectus in occiput ceciderat, tam frequentes facti sunt, ut non solum quemque excessum

in Baccho sequerentur sed praeterea quoque persaepe aegrum opprimerent. Quamobrem aegrotus, ne dissolutam istam vitam continuare posset, die 4. m. Februarii 1839 in nosocomium Marburgense receptus est.

Tum paroxysmi illi vehementiores, perfecti, variâ frequentiâ interdum quotidie redeuntes et quinque aut quindecim minuta perdurantes, modo inopinato aegrum corripiebant modo per auram epilepticam i. e. singularem in regione frontali sensum et oculorum obnubilationem praenunciabantur, numquam autem aliud quid, quam lassitudinem et caput turbidum relinquebant.

Adfuit igitur epilepsia encephalica pura, contra quam inunctiones ungt. stibiat. et ungt. hydrarg. ciner. in totam calvariam institutae simulque remedia interna in tractum intestinalem derivantia data sunt; quae postea, quum delirium potatorum jam antea exortum periodice valde augeretur, cum magnis herb. digital. purp. dosibus et postremo cum opio commutari necesse fuit. Ultimum hoc remedium miram memoratuque dignissimam vim in paroxysmos epilepticos habuit; quatuor enim aut sex tincturae opii guttae cum aura subintrante aegroto statim datae ad insultum prohibendum suffecerunt et triginta certe paroxysmi hoc modo aversi sunt; ceterum autem et opium et alia remedia supra laudata statum universum nullo modo meliorem reddiderunt. Aeger, qui hanc ob rem uti insanabilis in nosodocheum *Hainae* institutum transmitti debuit, die 12. m. Julyi post meridiem in conclavi ambulans subito mente amissa corruit et post horae quadrantem mortem subiit neque venaesectione institutâ neque tinct. cantharid. in cervicem inunctâ prohibitam.

Cranio post viginti quatuor horas aperto vasa meningum sanguine tumida reperta sunt; superficies autem cerebri, quae nihil nisi nonnullas maculas albidas, lenticulares, granulationibus illis valde vulgaribus simillimas praebuit, prorsus sana visa est. Eodem modo ventriculus dexter nihil pathologicum obtulit; in sinistri autem ventriculi lateralis cornu postico hydatis jacuit, cysticerco similior, quae vesica caudali magnitudinem nucis avellanae adaequante, collo longiore et crassiore saepius paululum se contrahente ornata adhuc alacris vivere videbatur. Nunc, exploratione accuratiore instituta, in pariete cornu postici interno ad pedem hippocampi minorem, quo loco semper sulcus profundior adest, ruptura magnitudinem vesicae illius exhibens apparuit; mox alia hydatis in sulco ab illo fere 1″ remoto sita, et ipsa perfecta quidem sed laxior et rugosa, sine dubio mortua, detecta et deinde, omnes illas maculas supra laudatas revera talia animalcula esse, cognitum est; quorum quatuor solum in basi lobi anterioris dextri, triginta tria in sulcis totius hemisphaerii sinistri reperta sunt. Omnes hydatides in lobis anticis sitae in corpuscula

lenticularia, calci similia transmutatae, ut ita dicam, calcinatae nonnisi per comparationem cum aliis institutam cognosci potuerunt; in partibus posterioribus sitae paulatim caput collumque perspicuum, postremae quoque vesicam caudalem manifestam praebuerunt. Omnibus autem vesica externa defuit, ita ut animalcula nuda quasi sub pia matre jacerent; quamobrem ea, non cysticerci sed alia enthelmintha nondum descripta esse visa, ad indagationem accuratiorem instituendam omnia servata sunt. Quam, quum, non satis magnâ spiritus vini copiâ infusâ, per calorem aestivum omnia jam post triginta sex horas in pultem dilapsa essent, institui non potuisse, sine dubio maxime lugendum, a quoque autem cerebri humani perscrutatore, num fortasse enthelmintha talia iterum detegi possint, summâ diligentiâ respiciendum est.

Relatio tertia.

Johannes Schmidt, quadraginta sex annos natus, e pago *Schoenstedt*, mercenarius in via publica occupatus, temperamenti valde phlegmatici, staturae mediae, usque ad duodecimum aetatis annum optima sanitate fructus, tum sine ulla causa cognita dolore capitis praecipue regionem frontalem occupante, qui ad certum typum intermittens tertia quaque septimana per ternos quaternosve dies perdurabat, laborare incepit. Postea inde a vicesimo quarto vitae anno, ubi aeger ab equo humi demissus fuit, dolorem illum in occipite quoque per lapsum maxime affecto sentivit, ceterum autem, quamquam per complures annos spirituosis haud parum indulsit, ne unum quidem symptoma morbosum praebuit. Ante unum fere annum, sub finem a. 1839, capitis dolore omnino amisso, postquam diem sueto more degit, subito noctu post somnia horrenda opprimitur paroxysmo epileptico, cujus omnia symptomata post sex octove minuta prorsus evanuerunt; sequente die, memoriâ illius ablatâ, non solum capite gravi et vertiginoso, sed quoque voce difficili et balbutiente incessuque infirmo, vacillante aeger laboravit. Quae symptomata post vomitum permagnam copiam aquae biliosae evacuantem multo leviora facta paulatim plane sublata sunt. Tempore sequente complures tales paroxysmi prioris simillimi, variis intervallis interpositis, exorti sunt, qui sensim non solum vocem atque incessum sed varias quoque ingenii facultates, praesertim memoriam, conscientiam etc. turbarunt.

Quamobrem aeger tum temporis in nosocomium Marburgense receptus est, ubi impetus illi, initio tam frequentes ut interdum bis terve in una nocte redirent, per ungt.

Explicatio figurarum in tab. II. delineatarum.

Fig. 1.

A. Margo posterior foramin. magni.

B. Clivus Blumenbachii.

C. Pars petrosa oss. tempor.

a) pars posterior tumoris.
b) protuberantiae tumoris maxime prominentes.
c) n. oculomotor. dexter.
d) n. trochlearis.
e) n. trigeminus.
f) n. abducens.
g) n. facialis.
h) n. acusticus.
i) art. auditiva interna.
k) n. glossophargyngeus.
l) n. vagus.
m) n. accessorius Willis.
n) art. basilaris.
o) artt. vertebrales.
p) radices n. hypoglossi.


Fig. 2.

A. Pars anterior medullae spinalis.

B. Medulla oblongata.

C. Pons Varolii.

a) tegment. caudic. cerebr. commun.
b) peduncul. cerebri dexter.
c) foveae, in quibus protuberantiae tumoris (tab. II. fig. 1. b.) sitae erant.
d) n. trigeminus.
e) nn. facialis et acusticus.
f) n. abducens.
g) corpora olivaria.



Delin. ad natur. Hach. *In lapid. inscrips. L. He*




Fig. 1.




Fig. 2.

Delin. ad natur. Hach.

In lapid. inscrips. L. Hess.

THESES.

I.

Calomel nullam in fel secernendum habet vim singularem.

II.

Hepar est pulmo abdominis.

III.

Pus resorberi nequit.

IV.

Pulsus in morbis hepatis retardatus vi bilis narcoticae in sanguinem est adscribendus.

V.

Facultas accommodandi oculos objectis tam vicinis quam distantibus minime musculis bulbum moventibns sed solis processibus ciliaribus efficitur.

VI.

Sutura circumvoluta in plerisque casibus suturae nodosae est anteponenda.

VII.

De graviditatis stadio nulla certa existunt signa.

VIII.

In graviditate extrauterina melius est naturae confidere, quam operationi.